



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

Pars Tertia. Interior animæ circa Christum crucifixum occupatio, per actus potissimum virtutum theologicarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

P A R S III.  
Interior animæ circa Christum  
crucifixum occupatio, per actus potissi-  
mum virtutum theologiarum.

C A P U T I.

*Magnum esse opera pretium, erga Christum in  
cruce pendentem crebris fidei actibus  
exerceri.*

§. I.

*Exercitationis proposita usus & fructus exponitur.*

**R**dior ab ea virtute, quæ uti cæterarum basis est,  
ita cæterarum postulat exercitio præstrui; fide  
videlicet, de qua hoc primum esto præceptum:  
Rem esse Christiano homine dignissimam,  
multique quæstus & compendij spiritualis atque ad rem-  
presentem cum primis necessariam, adversus Christum cru-  
cifixum fidem suam crebrò, neque id leviter aut defuncto-  
riè, sed accuratè studiosèque exercere.

Primùm, quòd nisi ocularam fidem vividamque animi  
persuasionem, ad ea quæ hic proponuntur exercitia, attule-  
rimus; enerves & fluxi futuri sint affectus cæteri, & sterilis,  
aut frugis exiguæ, omnis circa Christi passionem assumpta-  
mentis exercitatio. Languesceat quippe fiducia, inreperfect  
amor, remittet ardor devotionis: præclara illa patientiæ  
Christi cæterarumque virtutum ejus exempla, suo stimulo  
careant oportet, si non eum tibi ob oculos, ut Deum ac Do-  
minum tuum fidei ope proposueris; & illos in re proposita

E e 2 omni-

*Francisci le Roy Occup. circa Crucif. Pars III.*

omnium sanctorum affectuum uberes ac certissimos fontes: *Quis, quid, pro quibus, quo amore, quâ libentiâ patitur; crebrâ fidei exercitatione promptos atque apertos habueris.*

Deinde, quòd is fidei actus, & ipse per sese magni sit apud Deum pretij, & propria nota sit & tanquam character hominis Christiani; ut nempe & corde credamus & ore confiteamur, ipsum verum & unicum Dei Filium, non ex infirmitate aut impotentia, sed ex ingenti erga nos amore, & solo salutis humanæ desiderio, tam acerba tàmque indigna passum, & in crucem actum, latronum medium expirasse: quando eum reliqua hominum natio, vel ignorat extitisse unquam, vel solum hominem retur fuisse, vel detestatur sanè ut furciferum ac patibulatum, ipsòque adeò genere mortis, sacrum & execrandum.

Uti igitur olim hominibus secundùm carnem sapientibus, aut naturæ ductu, sensûque humano, divina metuentibus, ad primam vocem evangelicæ prædicationis, nihil tam absurdum atque à ratione alienum visum est, quàm hominem quondam à suis civibus crucifixum, Dei Filium prædicari, proque Deo haberi & coli; quod proinde vulgari & quotidiano convitio solebant Gentiles objectare nostris hominibus: ita è contrario menti, diviniore fidei lumine, collustratâ, nihil tam magnificentum atque divinum apparet, nihil ita dulce & amabile, nihil in quo dignius occupetur ejus contemplatio, quàm ut JESVM Christum, & hunc crucifixum, Deum ac Dominum suum agnoscat, adoret, colat, atque eruditore fidei oculo sub ipsa crucis ignominia latentem inspiciat divinitatem. Hæc est enim illa stultitiæ prædicationis, continens sapientiam in mysterio absconditam, in qua liberè gloriatur Apostolus: *Prædicamus, iniqui, Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiâ; ipsis autem vocatis, Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.*

11 Cor. I.

Postre-

Postremò, quòd id exercitij ipsi Christo Deo ac Salvatore nostro perquam gloriosum, eòque nomine jucundissimum & acceptissimum, sit. Redundat enim ad Redemptoris nostri magnam gloriam, quòd in illa summa infirmitate & abjectione crucis suæ, is ut Rex gloriæ & Dominus virtutum agnoscat, qui (si oculis carnis credimus) novissimus virorum videatur; immò in quo, ob vultus atque membrorum, à vibicibus, à plagis, à sanguine, à sputis, à livore deformationem, vix hominem possis agnoscere. Hæc nimirum ipse crucis virtus est, hæc potentia Crucifixi, quòd à terra elevatus mortalium corda ad se traxerit, arundine crucis, & hamo prædicationis; quòd orbem non ferro, sed ligno domuerit; quòd rem, in speciem & factu impossibilem, & Deo indignam, & creditu stultam, omni intellectu in captivitatem redactò, universo mundo pervaserit. Quapropter Beatus Bernardus, triplicem illam admirans (ut ipse appellat.) mixturam; Dei scilicet & hominis, virginis & matris, fidei & cordis humani: *Ergone credendum est, inquit, quòd iste Deus sit, qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur? &c.* Quod equidem nemo est qui fieri posse crederet, nisi omni humano sensu major autoritas factum doceret; & sensus nostros, cunctabundos licet ac resistentes, ipsa fides sibi subijceret, atque ita in cordibus nostris, deque ipsis nostris cordibus, exultans triumpharet.

1. Cor. 10.

Serm. 3. in  
Vig. Nativ.

Præclarum igitur atque gloriosum Christo est, cum fidem nostram circa Crucifixum exercemus. Eo quippe pacto, tanquam triumphanti de cordibus nostris Salvatore, obsecundamus ac plaudimus, atque sensus nostros quasi captivos & religatos, ante currum ejus Gloriæ trahentes, divini triumphi speciem ac pompam amplificamus: aut certè (ut hunc sensum meum istà alià figurâ exprimam) ipsum men-

mentis nostræ & intelligentiæ supremum apicem, vèhuti capitis nostri coronam, Deo & Agno summittentes, prout de Senioribus viginti quatuor in Apocalypsi legimus; ipsi Agno qui occisus est, virtutem, & divinitatem & sapientiam & gloriam adscribimus.

Apoc. 4.  
E. 5.

## §. 2.

*Ejusdem exercitiij quedam quasi formula traditur.*

**V**erumtamen, ut huic exercitio rationem ac formam aliquam nostris usibus magis accommodatam præscribam; poteris, mi Lector, ubi res feret, in hunc ferè modum circa Crucifixum exerceri.

*Primò*: Brevis præmissâ præfatiunculâ & coelesti lumine implorato, constitues te in conspectu Christi crucifixi, & fixis in eum tuæ considerationis oculis, contempleris virum illum dolorum in infami ligno pendentem atque in latronum medio morte turpissimâ & acerbissimâ occumbentem; simulque extremam miserrimi hominis nuditatem, abjectionem summam, incredibilem dolorem angoreque inexplicabiles recognoscens, velut admirabundus tecum exquires: quis tandem ille sit infelicissimus mortaliū, tam indignum in morem affectus opprobrijs, confectus plagis; neque tantum, ut vitâ indignus, oppressus & conculcatus ab hominibus, sed à Deo quoque ( uti ipse gemens agnoscit ) derelictus atque afflictus.

*Secundò*: Tum verò aperto fidei oculo, & ultra quam sensus aut ratio aspirare possit, contuens; deprehendes, & gratus agnosces, illam hominis contemptissimam miserandam speciem, illum virorum novissimum, illum leprosum & percussum à Deo, illum seu Gentium fabulam, seu Judæorum opprobrium, illum denique vermem & non hominem, esse Dei Filium unigenitum, atque adeò & ipsum Deum ac Dominum tuum, qui te omnipotente dextera sub-

& olim

& olim è nihilo eduxerit, & etiamnum alat, vegetet, tueatur; in cuius manibus sortes tuæ sint, à quo pendeat vita & salus tua, quo denique auctore omne bonum & hætenus tibi provenerit, & in posterum expectandum sit. Jámque adeo intendens aciem in illam tot rerum, quæ inter se pugnare videantur complexionem, & in summâ illâ Crucifixi infirmitate ipsam Dei virtutem ac potentiam, in tanta abjectione & depressione tantam excelsum ac majestatem, in ea demùm extrema miseria supremam gloriam ac felicitatem contemplans, exclamare incipies cum S. Bernardo: *O humilem & sublimem! ô novissimum & altissimum! ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum!* Quo itidem spectant & illa S. Ambrosij: *Potens erat, & despiciendum se præbuit. Terram movebat, & hærebat in ligno. Cælum obducebat tenebris, mundum crucifigebat, & crucifixus erat. Exinanitus erat, & replebat omnia. Scarabeus audiebatur, & Deus agnoscebatur.*

*Fer. 4.  
hebd. pen.*

*Serm. 3.  
in Ps. 118.*

*Tertio:* Post hæc denique, ad fidem tuam exfuscitandam contestandamve, ad Crucifixum conversus, aut eum etiam sumens in manus, vel corde vel ore dices cum S. Petro Apostolo: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* aut cum S. Thoma Crucifixi vulnera contrectante; *Dominus meus & Deus meus!*

Qui te non noverunt, Domine JESU, quique istis carent interioribus oculis, quibus per gratiam tuam me donasti, in te nihil præter infirmitatem & dolorem, contemptum & abjectionem aspiciunt, teque duntaxat ut hominem, cumque miserrimum attendunt, percussum à Deo, & inter sceleratos reputatum. At ego, cui tuo sanguine oculos aperire dignatus es, eosque divino magisterio tuo erudire, liberè indubitanterque pronuntio: *Tu es Christus Filius Dei vivi. Tu es Dominus ac Deus meus. Tu es vita, salus, dulcedo, gaudium, præsidium, honor, decus, coronæ feli-*

felicitas & omne bonum meum. Adoro te ut Deum, veneror ut Dominum, amplector ut Sponsum. Eundem te, contemplor & agnosco in patibulo, quem agnoverunt Magi in stabulo, quem Seraphini adorant in cœlo. Arque illi quidem te suspiciunt plenum gloriâ, paterno in sinu divinis splendoribus refulgentem. At me, dum adhuc exul & peregrinus per fidem ambulo, delectat illa obscuritas & velut umbra crucis tuæ, sub qua me juvet interim requiescere, & fructus ejus dulces carpere; hoc est, de tua infirmitate robur, de ignominia gloriam colligere, de morte vitam, de plagis salutem, de livore medicinam; donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.

*Quartò*: Aliàs potes variandi gratiâ, sive felicis illius latronis & (ut eum appellat S. Cyprianus) collegæ martyrij Christi, personam & affectus induere; ipsumque Jesum in cruce pendentem, inter blasphemias convitiantium, insultantium, insectantium voces, Dominum gloriæ ac Regem sæculorum agnoscendo, suppliciter ab eo petere; ut, cum jam in regnum suum venerit, meminisse dignetur perperculæ animæ tuæ. Sive centurionis aliorumque Christi custodum, qui viso terræ motu aliisque in ejus morte prodigijs, timuerunt valde dicentes: *Verè Filius Dei erat iste.*

*Serm. de Pas.*  
*Luc. 23.*  
*Matt. 27.*  
*Serm. 2. de Epiph.*  
*Serm. 8. de Pas.*

Quo loco aptè nos admonet S. Bernardus: *Videte quàm oculata sit fides, quàm lynceos oculos habeat, considerato. Cognoscit Dei Filium latentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt; centurio verò vitam agnoscit in morte.* Sive denique afflictissimæ Matris piorumque ejus comitum sensus capere: quorum uti interno aspectui longè alia tunc species occurrebat, atque esset in oculis impiorum (qui, uti loquitur Leo Magnus, *nihil in crucifixo Domino, præter facinus suum, cogitare potuerant*) ita & longè diversis concitabantur affectibus; dum in illa tristi & miserabili serri specie

specie occultè latentem introspicerent incommutabilem, Deitatem, atque ad extremam, illinc indignitatis, hinc dignationis, admirabile commercium, post reciprocos amoris & doloris æstus, velut sacro quodam horrore percussi consisterent; Vt de sanctis Angelis nihil jam dicam. Nam & Iesulum hunc nostri Salomonis innumeri Fortes ambiunt è militia cœlesti: qui quidem non fide, sed apertâ visione ac specie, divinæ hujus œconomiz sacramenta intima obtuentes, hoc profundiori admiratione defixi hærent; id fortasse secum convolventes, quod in Isaia scriptum est: *Veneretur Deus absconditus, Deus Israël Salvator.*

Isa. 45.

Hic etenim verè, si usquam, Domine Iesv, Deus & absconditus, & Salvator es; eoque Salvator, quia absconditus. Neque verò morti pro nostra salute succumberes; nisi Divinitatem tuam istâ carnis nostræ infirmitate obvolveres, & (ut relatas à Terculliano voces usurpem) *vim majestatis tuæ, intolerabilem utique humana mediocritati, humilitate temperares.*

L. 2. cont.  
Marc. c. 27.

*Quintò:* Ad extremum ea sit exercitij clausula; ut ipsi Christo crucifixo ex intimis medullis gratias agas, quòd fidem sui ac mysteriorum crucis suæ tibi inspiraverit ac donaverit; remque ad æternam tuam salutem tantopere necessariam, sed ab intelligentia sensûque nostro longissime disjunctam, & à sapientibus ac prudentibus absconditam, tibi parvulo revelaverit: confidens fore (& verò etiam id enixè postulans) ut hoc beneficium suum velit esse perpetuum, animoque tuo inditam fidem in dies augeat, & ad exitum usque confirmet.

Quo etiam in loco mihi obiter admonendus es: Id quòd antea universè ex Patrum sententia docuimus, recursum scilicet ad Christum crucifixum, efficacissimum esse adversus quaslibet tentationes remedium; idem speciatim ac nominatim valere, in obrepentibus obstrepentibusque ad-



versus fidem cogitationibus. Quocirca si quando animum tuum ejusce generis tentatio aliqua importunius sollicitet; non omittes illico ad istud obvium atque solenne praesidium confugere; sed sive ad Christi crucifixi pedes advolutus, sive eum complexus & cordi orive apprimens, aliquam pro tuo affectu adhibebis ex subjectis aspirationibus; quae ex scriptura ferè depromptae sunt, & ad usum praesentem accommodatae.

Dices igitur illi: *Domine, salvum me fac. Ecce motus magnus factus est in mari; & tenebrae operiunt terram cordium mei. Emitte manum tuam de alto, & eripe me; fulgura coruscationem, & dissipa omnes perturbationes inimici. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: & illumina vultum tuum super nos. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte, & prevaleat adversus me inimicus; qui intendit arcum suum in tenebris, ut sagittet in occultis immaculatum. Exurge Deus, judica causam tuam: Adjutor meus & susceptor meus es tu. Spes mea ab uberibus matris meae. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et his similia. Quibus id consequere, ut inter brachia Salvatoris, si non continuo optatam pacem animique tranquillitatem invenias, at solatium tamen in tribulatione, & lumen ac robur singulare adversus diaboli turbamenta accipias.

## CAPUT II.

*Varij sanctae fiducia fontes ex passione ac morte  
Iesu Christi.*

Quantam fiduciam in Christi Salvatoris nostri passione ac morte (quantum ad aeternam salutem nostram pertinet) reponere debeamus; non una ratione ac via demonstrari potest. Sed cum generatim ejusce fiducia

se tres quasi fontes aperiant; primus ex parte Dei, alter ex parte Christi, postremus ex parte nostri: hos exponemus in presenti capite, post ad nonnulla peculiaria fiducia argumenta descensuri.

Porrò ex his quæ hîc & deinceps nostrâ quadam methodo proponimus, facillè erit unicuique certa capita decerpere, quæ ordine digesta, suæ meditationi subijciat; atque ita nunc ad fiduciam, aliàs autem ad Dei amorem, aut maiorum patientiam, se, accommodatè genio suo, exerceat.

## §. I.

*Æterni Patris Vnigenitum suum tradentis summa adversum nos charitas.*

In primis igitur de salute nostra optimè nos jubet sperare; immensa illa Patris cœlestis adversum nos charitas; quæ, ne genus nostrum, infelici in primo parente ruinâ convulsam atque disiectam, irremediabili damnatione periret, & spei omnis ac salutis exsors jaceret; suo quodammodo detractum sinu Vnigenitum noxæ dedit, & (quod eam in rem commendat Apostolus) *pro nobis omnibus, nobis inquam omnibus, tradidit illum.* Rom. 8. Cui uni in speciem argumento quàm efficax inest, & quàm multiplex fiducia ratio!

*Primum:* quòd ille Pater misericordiarum, nullâ aliâ re magis, ut maximè veller, demonstrare potuerit, quantopere illi curæ & cordi esset salus nostra; quàm si ex illius quodammodo infano desiderio, ad tam difficilem, insolentem, peregrinum, & non modò ab omni sensu & cogitatione nostra remotum, sed (si nostro sensu rem æstimemus) dignitati suæ parùm consonum, immò sibi probrosum ac dispendiosum, illius quærendæ ac conciliandæ modum descenderet: cum nemo sapiens ad tam insolitas & alias rei cujuscumque conficiendæ obtinendæve rationes deveniat, nisi qui hanc summè & unicè, omnique studio & contentione animi, effectam optaverit. F f 2. Quæ

Quæ ne quis forsitan insolentiùs à nobis exaggeratiùsve dicta existimet; attendat Beatum Ambrosium, qui, cum ad illud Apostoli respiciens; *proprio Filio suo non perierit*; dixisset, pulchro verbo usam esse Scripturam, ut Dei Patris erga nos pium propositum declararet: *Considera (subdit) affectum patrum. Quod pietatis est, quasi morituri Filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur.* Sic Ambrosius.

L. 1. de Iacob. c. 6.

*Secundò*: quòd nobis unigenitum Filium tradens (quod summum equidem, & immensum, & donanti equale donum est) nihil jam utique nobis negaturus videatur, ut qui omnia cum illo & in illo nobis concesserit. *Qui enim (ut argumentatur Apostolus) etiam proprio Filio suo non perierit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ubi rursus S. Ambrosius: Pro quibus igitur quod super omnia est, dedit; potest fieri ut non in illo universa donaverit? Nihil enim excepit, qui omnium concessit auctorem.* Unde demum rectè colligit ad nostrum propositum: *Nihil est igitur quod negari posse nobis vereamur; nihil est in quo de munificentia divina diffidere perseverantia debeamus.*

Rom. 8.

Loco cit.

*Tertiò*: quòd eundem Filium suum dilectissimum tam inusitata atque incredibili suppliciorum immanitati subiciens, & nostrum ab illo debitum (cujus ille se vadem ac fidejussorem sponte dederat) extremâ severitate reposcens, id satagere visus sit; ut expetitis de Unigenito pœnis, justitiæ suæ cumulatè satisfaceret, & omni irâ suâ (si ita loqui fas) in innocentem illum effusâ, solam peccatoribus indulgentiam, solam reus misericordiam reservaret. Quò facere potest quod etiam dixit Apostolus; Deum proposuisse Christum, *ad ostensionem justitiæ suæ.*

Rom. 3.

Qua-

Quapropter non abs re dicere possumus; ut quemadmodum ille nunc vocari amat *Pater misericordiarum*; ita nos esse misericordiae filios; neque jam ipsius reformidare justitiam, sed misericordiam expectare debere. Jam enim, si unquam, proprium ejus opus, misericordia est; ulcisci autem atque punire (quod jam olim dixit Isaias) opus peregrinum & alienum ab eo. If. 28.

*Quartò*: Quocirca & istud summi quoque amoris fuit, & ingeniosa in commoda nostra solertia. Nam cum salutem nobis vitamque æternam, saltèm post totius gentis humanae miserabilem ab auctore suo defectionem, nollet absque pretio concedere; & de nostro pauperuli, miseri, ac rerum omnium egentes inanésque essemus; ne qua nobis esset salutis diffidentia, ejusve difficilius comparandæ excusatio, pretium ipsum de suo appendit, nobisque in manum posuit; monetam probam, à se percussam, sibi que acceptissimam, Filium, inquam, suum prædilectum nobis contradidit, quo tanquam pretio salutis nostræ, ipsi Patri cœlesti representato ac redhibito, negotio facili ipsam comparemus atque adipiscamur beatam immortalitatem. In quem utique sensum non difficulter, opinor, adducemus verba illa dilecti discipuli; dum Deum ait sic dilexisse mundum, *ut Filium suum unigenitum daret*, vel (ut Arabicus legit) *dono daret*; nimirum ut eo tanquam condigno libertatis nostræ salutisque pretio, ab ipso Deo id oppidè avente, ac percipiente, vitam nobis commercemur æternam. Joan. 3.

Atque ad hunc locum illa pertinet S. Anselmi perapposita meditatio: qui Deum Patrem misello homini, & unde se redimat non habenti, sic inducit loquentem: *Accipe unigenitum meum, & da pro te*. Juxta ac si diceret: Non permittunt equidem justitiæ meæ leges, ut te gratis liberem ac salvem. Sed cum unde te redimas, non habeas, providet tibi misericordia mea, unde satisfacias justitiæ meæ, *Acci-*

L. 2. *Civ*  
*Deus homo.*  
c. 20.

*Accipe Vnigenitum meum, & da pro te.* Quo quidem præclaro & admirabili divinæ erga nos dilectionis invento; siue ad incensum in ipso Deo felicitatis nostræ studium contestandum, siue ad ipsam æternam salutem, non sperabilem duntaxat, sed promptam etiam ac parabilem nobis reddendam; nescio an quicquam non dicam à nobis cogitatione fingi, sed ab ipsa etiam Dei sapientia adinveniri possit accommodatius.

Tanta igitur fuit in Deo Patre tamque inflammata salutis nostræ cupiditas; ut debito nostro dissolvendo, de visceribus suis (ut dicitur) satisfaceret; & æternæ vitæ comparandæ, de suo quoque, siue de medullis Divinitatis suæ, unde quodammodo in manu esset nostra salus, nobis amantissimè condonaret.

*Quintò:* Quid si isti Patris nostri cœlestis desiderio exaggerando, istud etiam adjunxerimus? Eò hunc videlicet, in isto tanquam salutis nostræ commercio, Filij sui dilecti meritis devinciri & obligari voluisse; quò nempe, ita jam exigente justitiâ, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, cancellaret ac induceret; & empram Vnigeniti sanguine perennem nobis beatitatem, si non nobis, at certò Filio, immò & nobis (in quos ille jus istud, velut in membra sua, transfulerit) justitiæ nomine deberet.

Igitur salutem humano generi cum gratis omnino donare posset, debere maluit: non ullo sui tanquam compendij respectu (quippe qui hoc ipsum unde debitor existeret, gratis donârit) sed ut eâ obligatione susceptâ, (ut juxta humanos mores loquamur) in salutis nostræ voluntate, obfirmatum se ac fixum ostenderet; atque hinc affirmaret. spem nostram; dum aspicientibus allegantibusque nobis immensa Filij merita, iisque partam mercedem ab ipso Patre reposcentibus, audentior sperandi animus, majorque postulandi fiducia intercederet.

Audiamus hic rursus Doctorem Ambrosium, sed alio loco, in hanc ipsam rem verba facientem. Is enim Symbolum Apostolorum exponens, cum pramississet; *nunquam magis quantâ clementiâ, quantâque potentiâ Redemptor noster abundaret, apparuisse; quàm cum mysterij hujus aggressus officium est;* subdit, eam ob rem divinam atque humanam naturam in Redemptoris nostri personâ quoddam inter se sacraminiisse commercium; ut testimonium ab humanitate Divinitas, pramium à Divinitate ferret humanitas: hoc est, ut sui vulneribus corporis magnitudinem erga nos Deus amoris ostenderet, & consortio Divinitatis recompsari sibi obedientiâ gratiam, & animus noster & corpus agnosceret. Hæc sci-  
In Symb. Apost. c. 15.

Ad extremum id libet adjungere; quod quemadmodum Deus, nostri miserecendi gratiâ, identidem respicit in faciem Christi sui: ita optet nos quoque diligentius in eam intendere, ut hinc spem divinæ misericordiæ concipiamus. Estque proclive creditu; eum intus cum animo nostro occultè agere, quod pijs passim imaginibus expressum aspiciamus: amabilem nimirum Filij sui crucifixi speciem, ut salutis arrham, & aram misericordiæ, oculis nostris subijcere, eoque spectaculo ad certam salutis fiduciam nos provocare. Quam in rem præsertim efficax apparet illa figura, quæ Patrem æternum repræsenterat in folio, vitâ defunctum Filij corpus manibus ac gremio complexum, admotâque ad ejus pectus dexterâ, hians lateris vulnus & adhuc stillans cruentis guttis (quod etiam pollice indicæque divinæ manûs interceptum, tanquam comprimi cernitur) sive ad dolorem commiserationemve, sive ad fiduciam atque amorem, ostentantem.

Ex quibus omnibus illud efficiemus denique: Deum ac Patrem nostrum modis omnibus salutem nostram desiderare; eamque adeo (ex immensa ejus misericordiâ, & Christi  
 si

sti meritis) in manu nostra esse: nisi forte sumus ita vecordes, aut tam fastidiosi ostores felicitatis nostræ, ut, cum ille nobis per omnia bene cupiat, ipsi miseri & infelices, quàm beati & felices, esse malimus.

## §. 2.

*Filij Dei, seipsum totum in cruce profundentis, incredibili nostri dilectio.*

**J**Am ex parte Christi Domini ac Salvatoris nostri, quantum rursum nobis nascitur salutis fiducia?

*Primò* enim qui ita dilexit nos, ut nobis à morte sempiterna redimendis, seipsum daret in pretium, & venarum suarum ac cordis sui omnem sanguinem eà causâ profunderet, & ipsam denique dilectam animam suam traderet in manus inimicorum ejus; non deseret utique sub umbram alarum ejus confugientes, & in ejus passione ac morte spem omnem suam reponentes. Nimirum in manibus suis descripsit nos; neque oblivisci poterit filiorum uteri sui; eorum inquam, quos in cruce moriens, per summos dolores & angustias viscerum suorum, Deo cœloque quodammodo parturierit. ut iidem scilicet illi sint filij dexteræ sive felicitatis, quos ut filios aspicit supremi doloris sui.

Gal. 2.

*Secundò*: Atque huic confirmando exaugendoque fiducia argumento, plurimum id confert: quòd idem amantissimus Salvator, non utcunque pro omnibus nobis, sed pro singulis nostrum privatim & quasi separatim mortuus sit; ut cuique liceat fidenter cum Apostolo dicere: *In fide vivo Filij Dei: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Eò videlicet, quòd (ut quidem sentit S. Joannes Chrysostramus, atque ex alijs idem licebit colligere) mors ejus & passio singulis nostrum perinde valuerit, atque si duntaxat pro uno quolibet nostrum illam subiisset; atque ita quemlibet dilexerit, ut vel pro unius cujuslibet salute, semetipsum prom-

promptè atque libenter tradidisset. Hæc enim sunt Chry-  
sostomi verba locum illum Apostoli exponentis: *Decla-  
rat hoc quoque par esse, ut quisque nostrum non minus agat gra-  
tias Christo, quam si ob ipsum solum advenisset. Non enim re-  
cusaturus erat, vel ob unum tantum exhibere dispensationem:  
adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo dilexit;  
quo dilexit orbem universum.* Quibus affinia sunt illa S. Am-  
broij in loco superius laudato, de ipso Patre ita loquentis:  
*Mirè etiam addidit, scilicet Apostolus: Pro nobis omnibus L. 1. de Ja-  
tradidit illum: ut ostenderet (inquit) quòd ita omnes diligit, cob. c. 6.  
ut dilectissimum sibi Filium pro singulis traderet.*

Tertiò: Hinc verò etiam (de quo equidem dubitare *Blos. spec.  
non possum; traditque expressè Abbas Blofius, & noster spir. c. 10.  
Alphonfus Rodriques*) in cruce pendens sese pro singulis *Rodriq.  
obtulit Patri, de nostrum singulis, de te, de me nominatim trall. de  
recogitans, tuæque ac meæ salutis negotium (ut vel sic o- Pass: c. 6.  
stenderet, quantopere ea ipsi cordi esset) specialiter Patri  
commendans. Quod quidem ei non erat difficile, ob sin-  
gularem rerum omnium comprehensionem, omnes perpe-  
tuò ob mentis oculos habenti, & ob immensum amorem,  
suum, ad singulos eorum, pro quorum salute moreretur li-  
benter animum attendenti.*

Proinde ut olim summus Sacerdos, qui Christi figu-  
ram gerebat, sanctuarium ingrediens portabat supra pectus  
suum, vel (ut in Hebræo est) supra cor suum, certis gem-  
mis insculpta nomina filiorum Israël; ut ad Deum acce-  
dens eorum memor existeret, ac tribus omnes sigillatim.  
Deo repræsenteret: *Portabit Aaron (inquit sacer textus) Exod. 28.  
nomina filiorum Israël in rationali judicij super pectus suum,  
quando ingreditur sanctuarium, memoriale coram Domino in  
aeternum.* Ita dicere possumus in rem nostram: Summum  
nostrum Pontificem Jesum, dum in ara crucis sese hostiam  
Deo pro mundi salute obtulit, omnium nostrum nomina.



portasse supra cor suum, uniuscujusque in illo summo ac generali sacrificio commeminisse, omnes nos Patri suo amantissimo, velut sanguine suo, quem eo momento reipsum pro nobis effunderet, conspersos representasse. Neque aliter sanè nunc facere, ingressum in sancta non manu facta, ut appareat vultui Dei pro nobis; pro salute nostrâ suscepta ac retenta vulnera eidem assiduè exhibentem, inisque nos omnes nominatim descriptos, imò in ipso corde suo, tanquam in rationali pectoris sui, ad indelebilem memoriam insculptos, representantem.

*Quartò:* Ex quo rursus nova suboritur acuendæ spei ac fiduciæ ratio: cum attendimus Agnum illum immaculatum perpetuò in Patris oculis tanquam occisum alliterere, eoque vulnere suorum notas ac cicatrices, etiam in carne sua gloriosa, retinuisse ac cœlo inculisse, ut in Patris conspectu semper quasi crucifixus appareat, & salutem nobis efficacius exoret, nostræ pretium libertatis ostendens, & sanguinis sui stipendia de paterna manu reposcens. Sic enim præclare autor sermonis de baptismo Christi apud S. Cyprianum: *Sacrificium (inquit) quod in carne obtulit, sit in beneplacito Dei constat acceptabile, ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quàm eâ die quâ de sacro latere sanguis & aqua exivit; & semper reservata in corpore Christi plagæ, salutis humanæ exigunt pretium, & obedientiam donativum requirunt.*

Itaque qui semel pro peccatis nostris mortuus est, semper vivit ad interpellandum pro nobis; eoque impressas plagarum notas, velut vivam quandam mortis suæ imaginem, reservat in suo corpore; ut eo tanquam immolati habitu, penetrans in Sancta Sanctorum, in intima quasi Divinitatis adyta, paternum cor admoneat, urgeat, sollicitet; dum causam nostram expediat, nostræque salutis negotium in tuto ponat. Quâ contemplatione non uno loco ad fiduciam

duciam nos hortatur Apostolus. Quippe qui ad Hebræos scribens, ex eo quod habeamus Pontificem magnum, Jesum *Heb. 4.* Filium Dei, qui & infirmitates nostras in se suscepit easque expertus sit, & jam cœlos Patrem pro nobis exoraturus penetraverit; continuo infert: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ; ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et alio in loco ejusdem epistolæ: *Habentes (inquit) fiduciam in introitu Sanctorum Heb. 10.* in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei: *accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei &c.* Et ad Romanos etiam expressius: *Quis accusabit, inquit, adversus electos Dei? Deus qui justificat; quis est qui condemnet? Christus JESUS, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? & quæ sequuntur.* *Rom. 8.*

Ultimo loco: ponderari possunt & illa ejusdem S. Pauli verba ad Corinthios scribentis: *Quoniam quidem Deus 2. Cor. 5.* erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Quibus quidem verbis, ingens, sive in Deo Patre, sive in ipso Filio, nos ad salutem adducendi desiderium, & tanquam ardor elucet, cum anxia cura & sollicitudine conjunctus. Nam in illis primis: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi;* equidem mihi intueri videor, per omnes sacræ œconomix partes, pro salute nostra in ipso Christo operosam, fatigentem, & quasi sollicitam divinitatem. At postremis verbis Christum ipsum induci video, non quomodocunque salutem nostram cupientem, aut ipsam reconciliationis gratiam ultro nobis offerentem; verum etiam, ut reconcilia-

ciliari Deo & Salvatori velimus, quodammodo obsecran-  
tem. Quid enim aliud est: *Obsecramus pro Christo*; nisi,  
vice Christi, cujus ad hoc legatione fungimur, & quasi ipso  
Christo obsecrante per nos? Prorsus ut in ipsum injurius  
esse convincatur, qui ei diffidat tanquam salvare nolentis,  
qui præ studio nostræ salutis, velut oblitus dignitatis suæ,  
etiam descendit ad preces, etiam obsecrat, ut salvati  
velimus.

L. i. de Ja-  
cob c. 6.

Verùm hic facere non possum, quin huic loco confir-  
mando præclara quædam sæpe in hoc capite laudati Medio-  
lanensium Antistitis sanctissimi, verba subijciam, eodem ar-  
gumento nos in hunc modum ad fiduciam erigentis: *Con-  
sidera quem Iudicem habeas. Nempe Christo dedit Pater  
omne iudicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à  
morte, pro quo se obtulit, cujus vitam suæ mortis mercedem esse  
cognoscit? Nonne dicit: Que utilitas in sanguine meo, si  
damno quem ipse salvavi? deinde consideras iudicem, non con-  
sideras advocatum. Potest iste se viorem ferre sententiam, qui  
interpellare non desinit, ut paterna reconciliationis in nos con-  
feratur gratia?* Hæc Ambrosius sanè quàm præclare.

## §. 3.

*Nonnulla sanctæ spei semina, ex donata nobis à Deo  
bona voluntate.*

Possumus denique nonnullo habito ad nos ipsos respectu,  
eam quam in Christi Salvatoris morte collocatam habeo-  
mus salutis fiduciam, non parum accendere & corroborare:  
non quasi in nobismetipsis, extra divinam misericor-  
diam Christi que merita, spem ullam debeamus reponere;  
sed quòd Dei gratiâ ac beneficio ij jam sumus, ut salutem no-  
bis Unigeniti sanguine partam, congruenter à Deo sperare  
atque expectare possimus.

*Primò enim ei, qui, abdicatis prioris ætatis flagitijs,*

ita se ad Deum converterit, ut sese jam in amicorum ejus numero censeat, non vanè conjectet: quantam spem & solatium addit, illa ex Apostolo ad Romanos scribente desumpta ratiocinatio? Si, ex summa & incredibili Dei adversum nos charitate, cum adhuc peccatores essemus, a deoque filij iræ & Dei inimici, Christus pro nobis mortuus est; nunc cum justificati sumus in sanguine ipsius, multò magis per ipsum esse salvandos. *Si enim (ut ibi subjungit) cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus: multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Eodemque pacto justum quemlibet ad fiduciam rursus hortatur S. Ambrosius: *Accepisti, inquit, pignus Christi charitatis: quoniam qui pro te mortuus est, advocatus est tibi, & sanguinis sui mercem te servat. Et qui peccatorem reconciliavit Patri, multo magis commendat innocentem, & tuetur subditum, quia seipsum innocuum.*

Rom. 5.

Loco cit.

Nec absimilis est S. Bernardi in quodam sermone collatio: qui illam admirans divini cordis dulcedinem, quâ in cruce pendens ac moriens, orabat pro crucifigentibus se, eorumque qui per summum scelus atque immanitatem, suum ipsius sanguinem haurirent, sitiebat curabatque salutem: *Quomodo, inquit, potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis; qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiae tuae?*

Fer. 4.  
hebd. pan.

*Secundò:* Si de tuorum vitiorum cæno nequedum totus emerisisti, attamen bonæ voluntatis es, & reipsâ cum Deo in gratiam redire desideras: est vel inde quod valde confidas Salvatoris meritis, ac propensæ ejus erga peccatores voluntati. Itaque ad spem te confirmet superiori affinis cogitatio. Si enim tanta est multitudo dulcedinis ejus, ut inter extrema crucis supplicia & mortis angores etiam pro execrantibus & execrantibus se exoret Patrem: quâ libentiâ complectetur & cordi apprimet peccatorem ad  
cum

eum redeuntem, ductum scelerum suorum pœnitentiâ, & cœcitatem suam ac vecordiam detestantem? Qui etiam idcirco Latroni ad se converso, & sui solam memoriam, cùm in regni sui possessionem venisset, verecundè poscenti, confestim ipsum Paradisum, hoc est gloriæ suæ atque gaudij communionem, benignissimè pollicitus est: ne quisquam desperet scelerum veniam, si tantùm pertæsus errores suos, ad eum recurrat cum fiducia, ejusque gratiam ac misericordiam exquirat. Quocirca & tu in Christum crucifixum, aspiciens, eumque Regem ac Deum tuum agnoscens, fideliter subinde rogabis, ut ijs te dignetur misericordiæ oculis respicere, quibus olim felicem latronem ad se confugientem attenderit; tēque similiter anteaactæ vitæ lapsus exosum ac deplorantem, pretioso suo cruore mundare, & in gratiam clementer receptum, denique in partem gloriæ suæ ac felicitatis societatem, admittere.

*Tertiò:* Quòd si, præter bonam voluntatem Deo serviendi, eique placendi, ac tandem salvandi animam tuam; erga acerbissimos amarissimósque Domini tui cruciatus tenerum quendam sensum animi, affectumve non vulgarem in temetipso experiare; hinc nova nascetur & propria fidei ratio: cùm & æquitati consentaneum sit, & multiplici experimento compertum, cum ijs præsertim ac propensius Christum salutare passionis suæ fructus communicare, qui illam crebrò ac libenter recogitant, & piâ saltem condolentiâ in ejus consortium venire student. Quemadmodum etiam demonstratum est in superioribus: in Christi passionem propensum ac devotum animum, peculiarem esse Redemptoris amicorum notam, & non obscurum indicium divinæ ad salutem destinationis; nihilque admodum proinde formidandum ei, qui pio studio Jesum crucifixum quaesierit. Quam in rem fortassis nonnihil conferet, quæ mihi ista commentanti succurrit cogitatio: Dominum no-

strum

strum IESVM, postquam amore nostri mortem subiit, & de hostibus communibus per crucem suam triumphavit, ad hanc suam gloriam, suamque erga nos charitatem perpetuo contestandam, & quod hinc sequitur, spem nostram ac fiduciam alendam, novum sibi *Crucifixi* tanquam cognomen adoptasse. Unde etiam illico post passionem ejus, Angelus mulieres alloquens; non jam, ut prius, eum simpliciter IESVM Nazarenum appellavit; sed *IESUM* (inquit) *Nazarenum crucifixum*. Marc. 16. Quali videlicet, ut olim Scipionibus, Africani & Asiatici cognomina ab gentibus illis devictis; ita Salvatori, post crucis certamen & victoriam, Crucifixi agnomen ad ipsius gloriam, & solatium nostrum, speique nostrae novum argumentum, adhaerit.

*Quarto*: Vel ab ipso timore nostro, quo, omnia quasi circumspectantes atque paventes, suspecta habemus salutis nostrae negotia, sumere possumus etiam amplioris fiduciae causam. Hic enim sagacis sollicitudinis tanquam aculeus, non initium tantum, sed etiam quoddam argumentum salutis est: cum id electorum proprium sit, semper esse pavidos, & salutem suam cum timore operari. Unde est illud S. Augustini: *Discat timere, qui non vult timere: discat esse sollicitus, qui semper vult esse securus*. Serm. 214. de temp. Ille tamen timor moderatus semper esse debet, & temperatus fiducia; neque qualis est servi timentis plagas, sed magis ut filij aut Sponsae, ipsam per se parentis aut Sponsi offensam reformidantis.

*Postremo*: Et illud infixum haereat animo: Deum magis nostram in ejus bonitate fiducia, quam pavore timido atque anxio delectari: ipsique Christo multo esse jucundius, si hilarè atque amanter in ejus morte ac meritis spem omnem nostram constituere assvescamus. Ipius siquidem praeter ceteris honorat bonitatem inexplicabilem, qui amore ac fiducia ducitur: quippe qui hoc ipso demonstrat, amplius sibi perspectam esse passionis ejus efficaciam, & divini cordis dulcedinem penitus introspectisse atque gustasse.

Quamobrem etiam idem Redemptor noster, sub sua passionis initia, pavores nostros atque angores in semet suscipere voluit; non eò duntaxat, quò ipsius exemplo eruditi, irruentes in nos ejusmodi anxios affectus, cum patientia & magnanimi sub Dei nutus subjectione, sufferre condisceremus; sed hoc vel maximè, ut eà nostrarum infirmitatum susceptione, paventia suorum corda confirmaret ad fiduciam, iisque curis & angoribus animi, quos à nobis in se transtulisset, tandem aliquando careremus. Quemadmodum ait Beatus Ambrosius; Christum imminente passione, tristitiam nostram & tædia humanæ infirmitatis suscipisse: *Ut quia in carne sua, peccata nostra perimebat, marem quoque animæ nostræ, suæ animæ mare aboleret.* Et S. Leo sermone 3. de passione: *Nostra, inquit, infirmitatis affectus participando curabat, & penalis experientia metum subitundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret.* Quibus similia habet S. Augustinus & alij.

L. 10. in  
Luc. 22.

Quæ tamen præferim in illo regno pacis æternæ implenda sunt, intra cujus fines, neque dolor ullus aut gemitus, neque timor aut terror futurus sit: attamen etiam in hæc convalle plorationis, horum usum aliquem ac fructum possumus persentiscere, ut videre licet in Sanctis quàm plurimis, qui in pœnis suis pro dolore ingentem lætitiã, & in periculis pro timore summam securitatem, præferbant: id illo agente in membris suis, qui (ut ait S. Petrus Chrysologus) *venit suscipere nostras infirmitates, & suas conferre virtutes.*

Serm. 50.

#### §. 4.

*Dictorum hoc capite conclusio.*

**T**ot igitur & tantas fiduciæ causas habentes, magnum animo robar assumere, & quod naufragæ solent in nau-  
fra-

fragij periculo, si qua in nobis oboritur desperationis tempestas, spei nostræ anchoram, ( quod etiam Joannis Thauleri monitum est ) in abyssum divinæ Bonitatis, & in mare passionis Christi abijcere debemus: certi, nullâ re magis muleeri ac devinciri cor Dei, & salutem nostram in tuto constitui; quàm si nullâ rei nostræ aut commodi, & ne ipsius quidem æternæ mercedis, sed solùm Deo serviendi sollicitudine, totos nos ipsius amabili & adorandæ providentiæ commiserimus, atque in expansa Crucifixi brachia, inq; ipsum divinitatis sinum, amantèr fidentèrque projecerimus; prompti de paterna ipsius manu accipere, quidquid ille de nobis, sive pro tempore sive pro æternitate constituerit. Eum interim obnixè rogantes, per Christi vulnera & viscera misericordiæ suæ, ne unquam nos sinat separari à se, aut exeidere ab amore & gratia sua.

Istæ enim plena amoris ac fiduciæ, hominis in Dei manus (ut appellant) resignatio, mirificè divinam promeretur misericordiam, eumque homini adeò obstringit, ut pati non possit eum perire, qui Deo unicè confidens, seque totum (ex S. Bonaventuræ phrasi) ipsius misericordiâ involvens, omnem sui curam ac sollicitudinem in eum trans-

*P. 3. Stim. c. 10.*

tulerit, se seque integrè ejus arbitrio ac voluntati permiserit. Omittantur ergo de occultis Dei judicijs, prædestinatione, perseverantiâ anxij timores & caræ superflua, quæ etiam Christo peculiariter dilectas animas subinde exercent & sollicitant: illudque potiùs provideatur in præsentia, ne dum carnis nostræ aut virium nostrarum infirmitatem timiditati nostræ obtendimus, non tam de nobismet ipsis, quàm de divina bonitate aut potentia diffidere videamur; & tanquam Dei in nos accusare parum propensum animum, qui cùm se totum in cruce nobis profuderit, etiam se totum in cælo donare paratus sit. Unde meritò quærit, increpanti similis sanctus Ambrosius: *Vereris dubios vitæ* *Loco supra* *anfra.* *cit.*

H h



*anfractus, & adversarij insidias, cum habeas auxilium Dei, habeas tantam ejus dignationem, ut Filio proprio pro te non peccerit?* Denique in vita B. Lyduvinæ legimus, Sacerdotem quendam eâ causâ post mortem detentum flammis purgantibus; quia non pro eo ac par fuerat, salutis suæ fiduciam in Christi passione collocaverit.

Parte 3.  
c. 3.

Sed pergamus porrò spem nostram specialius acuere, ex ipsa Christi in cruce pendentis contemplatione.

### C A P U T III.

*Ipsam Christi crucifixi aspectum varia fiducia argumenta suppeditare.*

**I**ESU crucifixi mæsta simul amabilisque species, quem admodum piæ menti objecta, magna [uti postea ostendemus] ad divinum amorem in nobis excitandum vim obtinet: ita subjecta fidelibus oculis non exiguum est lætæ fiduciæ incitamentum.

Ecquis enim, amabo, salutis æternæ spem abijcias, quantumvis multa & gravia peccaverit; cum Deum atendit amore sui pendentem in infami patibulo, & pro salute sua laceratum flagris, confectum vulneribus, verbo uno, per summos dolores atque extrema opprobria, inter crucis brachia expirantem: tantum ut infelicem atque ingratum homuncionem, suo mundet divino sanguine, Patremque ei placet iratum eundemque demum effectum sibi cohercedem, secum introducat in regnum suum?

Ut igitur, quisquis es, qui anxiam fortassis laboras salutis diffidentiam, aut spem inter metumque variè fluctuans, non pro eo ac par est, de Deo in bonitate sentis, superfluum metum vanumque terrorem abijcias; potes si volueris, in hanc similemve piæ commentationis formam in præsentia exerceri.

## §. I.

*Crucifixi vultus ad nos propensus, ad fiduciam nos invitat.*

**P**rimò: Conjectis in Christi crucifixi effigiem diligentibus oculis, atque exorsus à vertice; contemplaberis in primis divinam frontem spinarum aculeis compunctam ac deformatam, & guttis sanguineis adhuc rorantem, vultum illum decore ac dignitate conspicuum, benignos ac mites oculos, faciem ipsis etiam Angelis amabilem, cruore suffusam; infusam lacrymis, sputis infectam, livore decoloratam, demum ad oscula pœnitentis animæ clementissimè inclinatam: tum illam reliquam miserandam formam crucifixi corporis; terebratas manus, transixos pedes, latus percussum atque apertum, protensa violenter brachia; totum ipsum corpus in vivam compositum doloris imaginem, & velut in quandam miserationis ac pietatis scenam expansum. Atque hoc aspectu miserabili in spem ac fiduciam, erectus, age, ipsum JESUM in cruce suffixum in istius modi sensum affare.

Reum quidem me fateor, ó bone JESU, & tot tantorumque criminum reum, ut sit quod de mea salute desperem, si in furore tuo, & non ex misericordia tua judicare me volueris. Veruntamen ad te, quem in isto doloris atque ignominie patibulo miserabiliter pendentem ac pro me morientem intueor, ad hanc tuam crucem [quæ instar asyli certissimi reis omnibus ad tutelam ac præsidium proposita est] dum adhuc tempus est miserendi, confugio; hanc salutis aram apprehendo. Nolo causam meam in diem Domini reserves, extremam illam ac decretoriam, diem magnam atque amaram: verùm in hac die, quam si-  
mul & tuam & nostram esse dixisti, de salutis meæ summâ <sup>Joan. 8. v. 56.</sup> decerni desidero. *De vultu tuo iudicium meum prodeat, sed Luc. 19. v. 42.* illo crucifixi, non iudicis; non de illo, inquam, vultu mi-

H h 2

naci

naci & terribili [qualem se impijs in die extremo exhibiturus est] sed isto clemente atque benigno, atque ad parcendum & miserandum adhuc propenso. Ad tribunal isto misericordiæ tuæ: ibi me [pace tuâ loquar audentius] ibi me oportet judicari. Ab illa prælustri ac fulgurante nube, quam instar solij judiciarij olim infessus es, ad hanc alarum tuarum umbram, ad hunc thronum gratiæ, ad indulgentiæ tribunal appello: à te Judice olim implacabili & inexorabili, ad te modò patronum & miserorum advocatum provoco.

Magna quippe isto seu loco seu tempore, oboritur mihi salutis fiducia, cum te de rostris & suggesto crucis tue causam meam orantem video, & pro salute mea, usque ad sudorem, ad sanguinem, ad mortem, laborantem; neque lingua duntaxat, sed membris omnibus paternam mihi gratiam exorantem. In hoc tribunali si à te judicet; salvus sum. Quid enim formidem, aut causæ diffidam, quantumvis reus; quando idem & judex & patronus mihi futurus es? Neque jam verebor ultimi judicij severitatem, præsentis securus præjudicio: nec enim in illo extremo die et retractabitur sententia, quam tu unus idemque utroque foro judex, semel de crucis tribunali pro me dixeris, & sanguine tuo, tanquam gratiæ signaturâ, muniveris.

Atque hac præsertim ex vultus Christi crucifixi contemplatione.

## §. 2.

*Christi brachia in cruce protensa peccatores expectant ad veniam.*

**S**ecundò: Deinde considerabis eam quam dixi, sacrosancti corporis per crucis membra diffusi formam amabilem, & velut ad peccatores recipiendos compositam, & ad pacis oscula & amoris amplexus extentam. Ex ea quippe con-

contemplatione, nova tibi addetur fiducia, & animo in-  
spem confirmato novum quoddam robur accrescet.

Igitur, quando ad hoc invitat ipse Crucifixi in eam  
speciem conformatus habitus; infer te piâ cogitatione in  
ulnas Patris amantissimi, in illum sinum inexhausta miseri-  
cordiâ, in illa brachia amplissima, immensa, & intermina-  
ta charitatis. Expectat enim te passis brachijs, paratus te  
vel ad cor apprimere, vel in suum etiam quodammodo pe-  
ctus admittere, si tantum fidenter atque amanter ipsius affe-  
ctaveris amplexus. *Proijce te securus in eum*, (inquit se  
se adhortans S. Augustinus) *noli metuere: non se subtrahet,*  
*ut cadas.* Quod quidem hoc loco, quando de Christo cru-  
cifixio sermo est, vim præsertim habere videtur, non enim  
se tibi subtrahet, qui idcirco à terra exaltatus est, & per  
ipsam crucem latè distentus; ut omnia trahat ad seipsum:  
& ne se subtrahat, ecce ut fixus inhæret cruci, neque tam  
clavis furoris nostri, quàm vinculis suæ charitatis adstrictus.

Quò referri possunt & illa ejusdem S. Augustini, ad  
eum versum Psalmi 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi: id est*  
(inquit) *ante pectus suum te ponet, ut alis suis te protegat.*  
Quod ipse exponit de Sapientia incarnata; quæ nimirum  
infirmata est propter nos, & expandit alas suas in cruce, ut  
ei amanter dicamus & nos: *In velamento alarum tuarum*  
*sperabo.*

Quamobrem resumtis ijsdem animi fidentioris affe-  
ctibus, potes in has voces isti loco aptas erumpere: Inter  
brachia tua, ô bone Jesu, & vivere volo, & mori desidero.  
Nec enim me unum repelles, qui omnes complecti paratus  
es: & qui totâ die in cruce expandisti manus tuas ad popu-  
lum non credentem & contradicentem; non reijcies infe-  
licem servulum, & filium quondam erronem ac prodigum,  
nunc tamen ad te revertentem, & paternam veniam ac gra-  
tiam ex toto corde requirentem. Tu, Domine, qui amas  
ani-

L. S. Conf.  
c. II.

*Ecclesi. 23.  
Psal. 30.*

animas, suscipe hanc peccatricem animam, inter brachia tua totam se proijcientem, atque in te uno spes omnes suas collocantem. *Domine Pater & dominator vite meae: in manus tuas commendo spiritum meum.* In has, inquam, mi Jesu, manus tuas: non jam fulminatrices illas, & trifideis telis & igni inextinguibili adversus sceleratos armatas, sed pro me passas & clavis confixas in cruce, neque furorem ultionemve prætendentes, sed ad impendendam misericordiam extensas: non in illas manus Dei viventis & vindictis, in quas horrendum est incidere, sed in manus Dei in cruce patibulo mortui, & in ipsa morte amorem duntaxat & misericordiam spirantis.

*Psal. 30.*

Clementissime *JESU*, in manibus tuis sortes meae sunt, vita utique & mors, salus & perditio mea. Veruntamen si de lineamentis, quibus manus tuas nunc insignitas atque inscriptas in cruce conspicio, conjectare aliquid, & (ut ita dicam) sortem meam divinare liceat, non nisi omnia fortunata ac felicia de salute mea mihi appromittere possum. Ecce enim in manibus tuis descripsisti me; anima mea in conspectu tuo semper, &c.

Adjungi potest & illa eodem pertinens S. Augustini in *Soliloq. c. 2.* soliloquijs ad *JESUM* crucifixum suspiratio: *Manus tua fecerunt me & plasmaverunt me: manus, inquam, illa qua affixa sunt clavis pro me. Opus manuum tuarum ne despicias: vulnera manuum tuarum precor ut aspicias. Ecce in manibus tuis, Domine Deus, descripsisti me; lege ipsam scripturam, & salva me. En ad te suspiro creatura tua; & quæ sequuntur. Quæ sanè S. Patris oratio, tum ad Salvatoris benignissimi pectus ad misericordiam commovendum, tum proinde etiam ad animos nostros, angore, scrupulis, diffidentia seclutis dejectos, in spem ac fiduciam divinæ pietatis erigendos, est aptissima: ideòque erit in eos usus crebrius ac familiarius adhibenda.*

## §. 3.

*In Salvatoris vulneribus summa ratio spei nostræ.*

**T**ertio: Attendes diligentius, & particulatim contem-  
plaberis sacratissima Domini tui vulnera, eaque veluti  
non sacro cruore duntaxat, sed oleo divinæ misericordiæ,  
aut gratiæ balsamo & charitatis melle manantia: ex quibus  
proinde non dubia spei tuæ fomenta & fiduciæ argumenta  
sumere possis. Præcipuè autem ex amabili vulnere divini  
lateris, quod, ut meditantur Sancti, Augustinus, Bernardus,  
Bonaventura, alique, idcirco lanceâ militis apertum est,  
ut non justis modò, sed etiam peccatoribus via pateat ad  
cor ejus, atque ut loquitur Guilielmus Abbas, S. Bernardi  
æqualis & intimus; *ut in latus ejus jam non digitum mittamus* *In medit.*  
*aut manum, sicut Thomas; sed in apertum ostium toti intremus*  
*usque ad cor tuum, IESU, certam sedem misericordiæ,*  
*usque ad animam tuam sanctam, plenam omnis plenitudinis*  
*Dei, plenam gratiæ & veritatis, salutis & consolationis nostræ.*  
Qui proinde gestiens atque exultans, ita mox Dominum al-  
loquitur: *Aperi, Domine, ostium lateris arcæ tuæ, ut ingredi-*  
*antur omnes, salvandi tui a facie diluvij hujus inundantis su-*  
*per terram. Aperi nobis latus corporis tui, ut ingrediantur,*  
*qui desiderant videre occulta, Filij tui, & suscipiant profluen-*  
*tia ex eo sacramenta, & pretium redemptionis suæ. Aperi o-*  
*stium celi tui, ut videant bona Domini in terra viventium re-*  
*dempti tui, &c.*

Quibus plusecula addemus haud multò post, cum quan-  
ta sint nobis in corde Christi vulnerati bona reposita consi-  
derabimus, quàmque utile sit ac dulce pijs mentibus in eo  
assiduè commorari.

Si igitur ea est fortassis multitudo iniquitatum tua-  
rum, ut præ timore judiciorum Dei, vel ipsum morientis  
vultum reformides, vel extentas manus, quantumvis jam,  
cruci

eruci suffixas: en certum asyllum, quò te denique recipias. *Ingredere in petram* (hortatur Isaias) & *abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini*. Ingredere, inquam, amanter in cor ejus, & securè latita in vulneribus ejus.

Isai. 2.

Sanè ipsi Sancti, siqua illis fortassis de suis peccatis diffidentia obreperet, non alium tutiorem receptum, quam ad Christi vulnera habuere. S. Augustinum suprà audivimus; quoties aliquà tentatione pulsaretur, recurrisse ex templo ad Christi vulnera, & securum in illis invenisse perfugium, atque intrepidum in illis requievisse. Unde etiam

Mat. c. 21.

Ibid. c. 23.

subdit ibidem: *Peccavi peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum: nec tamen sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Clavi & lancea clamant mihi; quòd verè reconciliatus sum Christo, si eum amavero.*

Serm. 61.  
in Cant.

Eodémque modo S. Bernardus sermone quodam in Cantica: *Peccavi, inquit, peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor.* Ibidémque huc illa transferens Psalms 103. verba: *Petra refugium herinacys: Et revera* (subdit) *ubi sum infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tamen ad mortem, quòd non Christi morte salvetur?* Itaque & sermone sequenti infirmum quemlibet ad eadem illa divinae petrae foramina, velut ad tutum perfugium invitans: *Nec verendum, inquit, quòd patiatur repulsam, qui & vocatur ut intret. Ingredere, inquit, in petram; abscondere in fossa humo: prout ex Propheta jam retulimus.* Quem Magistri sui locum imitatus Guaricus Abbas, in rem eandem ita praeclare loquitur: *Ingredere igitur in petram, o homo, abscondere in fossa humo, pone tibi latibulum in Crucifixo. Abscondere, inquit, in fossa humo, à facie timoris Domini: hoc est, ab ipso fuge ad ipsum, à Iudice ad Redemptorem, à tribunali ad*

Serm. 62.  
in Cant.Serm. 4.  
in Ramis  
palm.

110.

crucem, à justo ad misericordem, ab eo qui percutiet terram  
virgâ oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidijs cruoris  
sui, ab eo qui spiritu labiorum suorum interficiet impium, ad  
eum, qui sanguine vulnerum suorum vivificat extinctum. Quis  
imò non ad ipsum tantum, sed in ipsum fuge, in foramina petre  
ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus fontis, in  
fossa latere te ipsum reconde. *Vulnus enim in latere Christi, quid  
nisi ostium in latere arce salvandis à facie diluvij? Hæc ille,*

S. Catharina Senensis, cum ei diabolus nescio quas blasphemias  
umbras aut desperationis ansam obijceret, hæc ipsa confes- *Blasphemias*  
sionem cogitatione illum repulit: *Ego, aiebat, aperte Creato- spir. c. 1.*  
ri meo confiteor, me quotidie in tenebris fuisse, malèq; vixisse.  
Verum amen fiducialiter latitabo in plagis Domini mei JESU  
Christi; ut omnium iniquitatum mearum maculas pretioso san-  
guine ejus abluam, atq; cum sancto desiderio jugiter gaudebo in  
ipso Creatore & Redemptore meo. Tandem B. Bonaventura  
adversus infestâ, & divinæ prædestinationis arcanas cogi-  
tationes, eodem sibi nobisq; recurrendum censebat: *Scio, P. 3. stin.*  
inquitens, quid faciam: in cavernis vulnerum suorum me ab- c. 13.  
scondam; ibiq; quietus latitabo. Et ea quæ sequuntur.

§. 4<sup>o</sup>

*Idem speciatim de Christi sanguine ostenditur.*

Ipse porrò sanguis benignissimi Redemptoris pro salute  
nostra tam amanter & largiter, immodò tam prodigè, &  
tot modis ac vijs effusus, quantam tibi debet adferre fidu-  
ciam? eum illud attendens pretium magnum atq; immen-  
sum, quo redemptus es, simul recognoscis, quantum re-  
Deus amaverit, & quanti fecerit animam, pro qua vindi-  
canda & asserenda totum se impenderit, ac profuderit. Ut  
enim rectè argumentatur Tertullianus: *amavit utique, quos L. de carne*  
*magno pretio redemit. Christi c. 4.*



Et verò etiam S. Augustinus in illa verba Psalmi 101. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, &c.* eodem argumento sese aliòsq; ad fiduciam salutis concitans: *Redemptus est, inquit, de corruptione vita tua. jam securus esto. Ieritum est bonæ fidei contractus; nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium, jam pretium solutum est, sanguinem fudit: sanguinem, inquam, fudit unicus filius DEI pro nobis. O anima, erige te; tanti vales: redemptus es.* *Idemq; rursus in suis Confessionibus: Quomodo nos amasti, Pater bone, qui filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impijs tradidisti eum! Quomodo nos amasti! Et mox: Ille tuus unicus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, redemit me sanguine suo. Non calumnientur mihi superbi, quoniam cogito pretium meum.* Hæc S. Augustinus.

h. 10. c. 43.

Et ego igitur pretium meum cogitans, & quòd Deo chara sit salus mea, & quàm pretiosa in oculis ejus anima mea, recognoscens; quæcunq; tandem sit rerum facies, quæcunq; tempestas aut pusillanimitas spiritus, quæcunq; tenebræ mentem occupent atq; offuscent, nunquam de salute desperabo. Non enim tam fatuus es negotiator, o bone Jesu, ut tanto labore quæsitam, tanto pretio emptam animam meam servare negligas, aut nisi sponte & obstinate perire volentem, abijcias. In tuto igitur est salus mea, si tantum, te servare volente, & ipse servari volero. securus sum tot acceptis pignoribus. Arrham salutis teneo amorem tuum; & pignus amoris sanguinem tuum. Si enim Judæi qui Christo Lazari sepulchrum conviventi aderant, singularem ipsius in defunctum amorem ex eo non vanè conjectarunt, quòd illius funeri eum viderent illacrymantem: *Ecce,* inquit, *quomodo amabat eum: quid me de ejusdem aduersum me amore par est credere; postquam eum video, non lacrymas modò, sed sanguinem suum universum meam causam*

Joann. 11.

causâ fundentem, & toto quodammodo corpore sanguineis guttis mihi plorantem?

Pro me lacrymatus est unigenitus DEI, pro me in agonia sudavit, pro me sanguinem suum fudit, *propter me mor-* L. 1. de Jâ-  
tem (inquit S. Ambrosius) Christus gustavit. Hæc est spes cob. c. 6.  
mea ab uberibus matris meæ; hæc fiducia in finē vitæ meæ. Offendere possum, concuti possum, labi possum, desperare non possum. Nam quæcunq; sit causa mea: potentem habeo Advocatum apud Patrem, sanguinem, inquam, Unigeniti; per quem ille defunctus adhuc loquitur, & cujus vox melior quàm illa sanguinis justi Abel, non ultionem expetit, sed implorat misericordiam. Projiciam ergo me inter brachia Crucifixi, & omnem spem meam in ejus sanguine ac vulneribus collocabo.

Rectè enim ad Crucifixi discipulum Doctor Seraphicus: *Hoc semper, inquit, pro Regula generali habeas: Quando-  
docunq; DEUM volueris ad te profundè inclinare, in corde tuo  
vulnem Christi porta, & ejus conspersus sanguine, te Patri quasi  
Unigenitum præstabis; & ipse tanquam Pater dulcissimus tibi  
plenariè providebit. Non enim (ut ait alibi) potest se DEUS  
negare sanguine Christi perfuso. Audiatur hic etiam S. Bo-* P. 1. c. 7.  
naventurâ antiquior & Bernardo coætaneus Arnoldus Car-  
notensis: *Convenerunt itaq; (inquit de hoc ipso eleganter,  
differens) justitia & pax, & pro captivo suo vadem fidelem li-* Serm. 5. de  
ultim. verb.  
Dom.  
benator se posuit; tantâq; autoritate firmatum est hujus indul-  
gentiæ privilegium, ut in ipsius Crucifixi membrana, proprio  
sanguine conscriptæ sint illius absolutionis litteræ, maneatq; infi-  
xum usq; hodie sigillum; plaga lateris, quam semper oculis l'a-  
tris exhibet præsentia Salvatoris.

Corollarij & clausulæ vice, placet hoc extremum istius capiti atterere.

Si enim de ijs, quæ ad necessitates pertinent animalis vitæ, quæ interim nobis est cum culcibus muicisq; commu-

Matth. 7.  
1. Pet. 5.

nis, jubemur non esse solliciti, sed omnem nostram sollicitudinem in DEUM projicere, quoniam ipsa est de nobis; quanto id potius de divina nobis providentia pollicebitur, cum de bonis agitur ad maniculisq; æternæ vitæ: quippe, quæ ut istis immensum præstabilia sunt, ita probe perno- rit nimio plus nobis esse necessaria; neq; nos profecto illa bonitas ad ista caduca & peritura, sed ad hæc æterna fruenda condiderit, neque pro esca, opinor, aut vestimento nobis quærendo mortuus sit Christus, sed immortalium bonorum fructum suo nobis sanguine promeruerit.

## CAPUT IV.

Ex Christi boni Pastoris contemplatione, speciale concipiende fiducie argumentum.

§. I.

Ovis errabunda boni Pastoris humerus reventa.

Afficit me subinde ea quam dicam cogitatio; eandemq; credo pijs mentibus, si eam quidem usurpare voluerint, non inutilem neq; injucundam futuram. Ea autem est hujusmodi.

L. de pud. c.  
7. & 10.  
Bosius Rom.  
subter.

Proposita mihi ob oculos illa boni Pastoris effigie, quam ex Tertulliano (qui eam docet suo tempore in sacris calicibus pingi solitam) tum ex priscais subterraneorum in urbe Roma cæmeteriorum monumentis (ubi eandem effigiem pluribus locis invenire est) veteres Christianos constat multum delectatos fuisse: in hujus, inquam, piæ imaginis contemplatione, fingo me ovem illam esse palabundam & perditam, sed à bono Pastore, lacerato vepribus, spinis coronato, sudore undiq; guttisq; sanguineis diffulente, per invia & aspera requisitam, inventam deniq; humerisq; gaudentia impositam ac reventa.

Tum

Tum verò plenus fiducia, illis è psalmo verbis ad Patrem coelorum conversus: *Respice*, inquam, Pater optime atq; amantissime, *respice in faciem Christi tui*. Ego pecus illud seductum & erraticum, indignus sum, quem aspicias oculis misericordiae tuae. Sed averſari nequis faciem unigeniti: neq; illum potes placido lumine contueri, quin iisdem oculis me ipſius collo circumfusum aspicias. Atque eo aspectu commovebuntur, scio, tibi viscera; dum mansuetissimū divini Pastoris vultum ad me blandè conversum intuerere, ipsūmq; benignissimum Pastorem, super ovem sibi dilectam, & tanto quæsitam impendio, prono capite reclinatum & acquiescentem, eamq; stillantibus de sacro vertice cruoris guttis respergentem. Ita propter filium patres serulo, & ovem recipies propter Pastorem.

§. 2.

*Ex eodem schemate multiplex fiducia ratio.*

**E**Nimverò in hac boni Pastoris figura (quæ in Christo Jesu Salvatore nostro exactè re ipsâ impleta est) tria præsertim esse videntur, quæ particulatim considerata, multiplicem nobis fiducia causam suggerant.

*Primum*: magna illa & sollicita boni Pastoris erga ovem perditam charitas: quippe qui relictis in deserto, & velut neglectis reliquis ovibus, vel unius requirendæ gratiæ, per aspera montium, obscura vallium, in via nemorum, densa dumorum, horrida veprium vagetur, nec cruentatus spinis, sudore perfusus, anhelus cursu, æstu, siti, clamore deficiens, perquirendi studio absistat, donec inveniat eam. Multum enim sibi charam ostendit, quam tanto quærit impendio; quia, ut sanctus ait Augustinus: *si peccatores DEUS non amaret, de caelo ad terram non descenderet.*

*Deinde*: Benigna ejusdem amantissimi Pastoris in inventam denique erroneam ovem indulgentia: quam non satis

fatis habeat præ se agere, aut virgâ pedove pastoritio ad reliquum gregem compellere; sed primùm sinu ac complexu suo dignatam, tum in humeros sublatam reportet, ne vel per vecordiam aut lasciviam rursus fugiat, vel per infirmitatem in via deficiat: quasi illi majorem dilationem, atque impensiolem sollicitudinem debeat, cui requirendæ ampliore laborem impenderit.

*Postremò:* Attende, quàm libens ac gaudens id faciat, de inventa ove sibi gratulans, eamq; ut fructum laboris sui amicis ostentans. Ut verendum non sit, ne tædio victus aliquando abijciat, quam cum tanto gaudio reportet, & ijs, quæ non erraverant, quodammodo chariorem habeat.

*serm. 6. in Cant.* *Quid ergo?* inquit S. Bernardus: *proprijs humeris dignatus est illam reportare; & curam illius non habebit?*

*Ps. 118.* Cujus igitur cor non emolliat, aut quem ad fiduciam non commoveat hujusmodi cogitatio? *Erravi sicut ovis qui perijt:* sed amantem mei Pastorem habeo, qui quantumvis longius errantem, summo studio requirit me. Errando lassus, inedia confectus, insuper & bestiarum dentibus tantum non consumptus sum: at ille ereptum ac restitutum, in sinu amanter fovet, pascit, ac reficit me. Infirmus sum & imbecillus: sed potens est, qui portat me.

O ovicula Christi, pauperula, languens, viribus defecta, emaciata, sed (quod satis est) Deo ac Christo dilecta, sed æstimata tanto sanguine; quid trepidas? quid times? quid turbaris, cum pastorem sequens, qui non utcumque te quæsit errantem, sed posuit pro te animam suam? Tantum convertere ad Pastorem animæ tuæ; ut ille regat te, & salvabit te. Nam qui tantopere quæsit etiam fugientem, & averfantem, minùs utiq; abijciat cum bona voluntate ad se revertentem.

Ponderentur deniq; verba S. Hieronymi, ad Pammachium ita scribentis: *DEI Filius propter unam morbidam*

ovem, nonaginta novem in montibus derelictis, alapas, crucem, flagella sustinuit, & suis humeris portavit ad callos, bajulans delicatam peccatricem. Quibus imitari videtur, quod antè dixerat Tertullianus: *Erroneam ovem patientia Pastoris requirit, invenit, & humeris insuper advehit bajulus patiens peccatricem derelictam.* Verùm delicatam peccatricem appellat Hieronymus; sive prius affluetam delicijs, eòq; laborum, rudem & inexpertam, sive etiam infirmam jam ac imbecillam: quippe longis fatigatam erroribus, & lassatam in via iniquitatis. *Multum enim errando laboraverunt; ut ait alio in loco Tertullianus.*

*l. 2. de pat. c. 12.*

*l. 2. de penit. c. 8.*

Ex quibus & illud intelligi potest: cuilibet, quamvis desperato, magnam sumendam esse de boni Pastoris benignitate fiduciam: quippe qui longius errantes eò requirat studiosius; eòq; sibi gratuletur amplius, quò magis perditam & desperatam ovem, ad ovile suum, & vitalia pascua reduxerit. *Venit enim querere, & salvum facere, quod perierat.*

*Luci. 19.*

### §. 3.

*Sanctorum Patrum in hunc ipsum sensum atq; affectum conspiratio.*

**N**on absimili ratione, ad fiduciam ac spem divinæ misericordiæ, ex contemplatione boni Pastoris, ovem perditam requirentis ac revehentis, concipiendam; invenio plerosq; Sanctorum Patrum familiariter usos fuisse: quorum verba, ad ejus exercitij non confirmationem modò, aut commendationem, sed usum etiam ac praxim faciliorem, hoc loco juvabit apponere.

In primis enim eodem sensu video fuisse S. Ambrosiũ; dum ad illa verba psalmi 118. *Erravi sicut ovis que perijt: quæ- re servum tuum; ita scribit: Veni ergo, Domine JESU; quære lassam ovem tuam: veni Pastor, quære, sicut oves, Joseph.*

*In psal. 118. serm. 22.*

*Erra-*

Erravit ovis tua, dum tu moraris in montibus. Quare me, quid ego te requiro; quare me, inveni me, porta me. Potes invenire quem tu requiris, dignaris suscipere quem inveneris, impingere humeris, quem susceperis. Non est tibi pium onus fastidio, non tibi oneri est vecturus justitiæ. Et infra: Porta me in cruce, qua salutaris errantibus est, in qua sola est requies fatigatis, in qua sola vivunt, quicquam moriuntur. Et alio in loco:

In Luc. c. ix. Gaudeamus igitur (inquit) quoniam ovis illa, quæ perierat in Adam, levatur in Christo. Humeri Christi, crucis brachia sunt. Illic peccata mea deposui; in illa patibuli nobilis cervice requievi. Hactenus S. Ambrosius.

Nec minus appositè S. Gregorius Nyssenus; qui ad illud Canticorum primo: Indica mihi ubi pascas, ubi cubes, (hoc est, ubi pascas gregem tuum, eumque accubare facias) in meridie; fiducia plenus, ita bonum Pastorem alloquitur: Ubi pascis, o Pastor bone, qui super humeros tollis totum gregem? Una enim est ovis universa humana natura, quam suscepisti super humeros. Ostende mihi pascua virentia; induc mihi aquam refectiois; deduc me ad herbam bonam ad nutriendum; voca me ex nomine meo, ut ego qui ovis sum, audiam vocem tuam; et propter vocem tuam, da mihi vitam æternam.

Medit. c. 8. Sed dulcis sanè est inter Augustini meditationes, ejusdem argumenti illa ad Patrem æternum oratio: Ille attende pater quem genueris filium, et quem redemoris servum. Hic aspice factorem, et ne desicias facturam. Amplectere serenas pastorrem, et respice miseratus allatam proprijs humeris ovem. Ille est fidelissimus Pastor ille, qui dudum err abundantem per abrupta montium, per precipitia vallium, multis varijsque quæsierat laboribus, quæ jam morienti, jam per longa exilia deficienti, et non inventa gaudens se supposit, et mixto sibi amissa charitate à profunda confusionis abisso levavit; pijsque adstrictam complexibus, ad nonaginta novem, unam quæ perierat, reparavit. Ecce, Domine mi Rex, DEUS omnipotens, ecce Pastor bonus fieri tibi, quod commisisti ei, &c.

Ad Christum autem ita paucis S. Bonaventura: *ô bone Pastor, ego sum ovis illa, quæ periit & erravit, pro qua in cruce posuisti animam tuam. Ecce ego sum, agnosce eam, introduce me in caulas vulnerum tuorum. Et alibi: Recognosce in me imaginem tuam, quamvis deturpatam; & deduc me ovem, quamvis errantem, ad te pium Pastorem. Gratulatur dulcissimus Pater de redeunte prodigo filio; Pastor bonus de inventa ove; & piissima mater de drachma reperta. ô quàm felix erit dies & hora, quando super collum meum corrues, & oscula exhibebis!*

Stim. p. 1. c.

Ibid. c. 7.

Vit. c. 11.

Ejusdem deniq; salivæ ac sensus est, B. Laurentij Justiniani illa sub mortem precatio; ubi in singulari atq; divina boni Pastoris charitate spem omnem constituens, inter cætera his illum alloquitur: *Illæ ego ovis amissa ad te Pastorem redeo. Vocem tuam novi, non alienorum: peto, Domine, ut ad ovile me reducas. Potène spernere vocem clamantis, & confugientis ad te?* Legi possunt reliqua in ejus vita: est enim oratio referta pijs sensibus, & dignissima, quam homo Christianus eo in articulo usurpet. Verùm de his hæcenus.

## CAPUT V.

*Quos adhuc peccare delectat, hos terroris potiùs quàm fiducia, in Christo crucifixo causas habere.*

**Q**Uæ de fiducia in Christi passione ac morte collocanda aliquot capitibus disputata sunt, ea ad hos præsertim pertinent, quibus sua salus ita est sollicitudini, ut ejus respectu noxijs sese gravioribus abstineant, vel, si quando labi humanæ sortis imbecillitate contigerit, continuo sese respicientes, deplorent infelicitatem suam, atque spe veniæ &

Kk

emem-



emendationis vitæ studio concepto, remedij gratiâ ad ipsum Christum crucifixum absq; dilatione confugiant.

Qui enim è contrâ, salutis curâ depositâ, indomitis suis cupiditatibus libenter obsequuntur, vitiisq; toros se tradunt, & inolitâ jam vivendi licentiâ, nihil pensi habent se scipere gravem summæ Majestatis offensam; tamen neque his desperanda sit sua salus (cùm nemo sit tam enormis peccator, cui non in Salvatoris meritis spes aliqua veniæ relicta sit) tamen quàm diu sic sunt, & peccata peccatis cumu-

lando, divinum sanguinem (quo salvari debent) ipsimque Dei filium tanquam conculcant, & sibi met ipsi rursus ac rursus crucifigunt; hos adedò in passione Domini timoris potius quàm fiducia causas habere intelligo. His enim merito formidanda videtur terrifica illa Apostoli Pauli sententia.

Heb. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis amulatio, quæ consumptura est adversarios.*

Quò etiam pertinet illa Guilielmi Abbatis meditatio: qui cùm præmississet, Christum tempore passionis, & quasi in illo generali (uti loquimur) cruenti sacrificij Memento, pro triplici personarum genere orationem Patri obtulisse; pro se, pro amicis secum in tentatione permanentibus, & pro inimicis ac crucifigentibus se, sed nescientibus quid facerent: *Ubi est, ait, oratio pro scienter peccantibus?* Et serib graviterq; respondet: *Quàm diu sic sunt, extra amplexum Crucifixi sunt, qui expansis in cruce manibus, etiam formâ patibuli amplecti videbatur omnes, pro quibus patiebatur. Itaq; sicut dicit Apostolus: Voluntariè peccantibus nobis jam non relinquitur pro peccatis hostia, quæ nisi penitentia delect, nisi sanguineus sudor exsudet, & crux exruciet; voluntariè & scienter peccantem, non invenio partem habere in oratione sanguinem sudantis, vel in sacrificio in cruce pendentis. Sic ille.*

Deni-

Deniq; his meritò sollicitum timorem incutit hæc ipsa  
 passionis ac mortis, per extremam pœnarum acerbitatem, ,  
 in scelerum nostrorum vindictam, DEI filio illatæ, memo-  
 ria; & illa dolentis Salvatoris, cùm ad ipsum crucis suppli-  
 cium raperetur, non vana comminatio: *si in viridi ligno hæc  
 faciunt, in arido quid fiet?* hoc est: si Deus humanis offen-  
 sus sceleribus, de Filio suo dilectissimo, quòd ea in sese lu-  
 enda susceperat, pœnas tam atroces expetit: qua severitate  
 tractabit ingratißima mancipia, quæ deliberatâ peccandi li-  
 bidine cœlestes iras in se accersere & accendere non cessant,  
 & oblata sibi divinæ indulgentiæ pignora, convertunt in-  
 damnationis argumenta? Aut si in homine sanctissimo &  
 innocentissimo, quiq; instar erat ligni virentis ac floridi, at-  
 que omnigenis virtutum fructibus exuberantis, tamen quòd  
 is Rei personam gereret, divina vindicta eum in morem ex-  
 arsit: lignum aridum, exsuccum, inutile, arborem infru-  
 ctuosam, nec bis tantùm (quod ait S. Judas) sed millies mortu-  
 tuam & eradicatam, qua celeritate corripiet, atq; absument?  
 Demum, si vel solum nomen, & quandam quasi umbram,  
 peccati in Unigenito DEUS sic exhorruit: quid te fiet, ho-  
 mule infelix, qui non veri vacuum portas peccatoris imagi-  
 nem, sed veris ac meris coopertus es sceleribus, & ex nequi-  
 tia, fraude, malignitate tantùm non concretus, ac coa-  
 gmentatus.

Veruntamen, ut dixi; quemadmodum proborum fi-  
 ducia aliquo semper timore temperanda est: ita etiam im-  
 piorum formido, dum adhuc miserendi tempus est, semper  
 esse debet cum aliqua spei inductione & temperatione con-  
 juncta.

## CAPVT VI.

*Christi Incarnationem ac mortem piè recogita-  
tam, ad diuinum amorem in nobis excitandum  
atque colendum, vim permagnam  
habere.*

**Q**uanquam nemini obscurum esse potest, quod etiam  
initio præsentis opusculi indicatum est, Christi passio-  
nem piè recogitatam, fontem esse sancti amoris uberrimum;  
idq; assiduè experiantur animæ sanctæ, quæ hauriunt aquas  
in gaudio de fontibus Salvatoris, & vel ad solum Crucifixi  
conspæctum amore inflammantur ac liquefcunt, inq; dulces  
lacrymas, amoris indices, solvuntur; iuvat tamen hoc ipsi  
paulò pluribus ostendere, & in argumento summè suavi a-  
liquantisper, nec injucundè immorari. Ordinem autem  
velut à capite, & à demonstrata Verbi incarnati amabilitate  
mirabili, ad eas quas in Christo passo habemus amoris ille-  
cebras, gradum molliùs commodiùsq; faciemus.

## §. I.

*Magna Divini Amoris illecebra, Verbum caro factum.*

**I**psa quidem per se Divinitas, infinita est amoris illecebra;  
quippe quæ per sese purum est, & summum ac infinitum  
bonum, dulce theatrum ipsiusmet divinæ mentis, spectacu-  
lum omnis admirabilitatis, & (ut Augustinus appellat) pul-  
chritudo insatiabilis. In cuius proinde claro ac felici intu-  
itu, æterno stupore defixæ hærent beatæ mentes; cuius con-  
templatione satiari nequeunt Seraphinorum oculi; qui eos  
exinde ardores ac flammæ concipiunt, quos (velut si eos  
ferre non possent) irrequieto alarû succullu, non tam tem-  
perant

*in Pf. 83.*

perant quàm alunt, & assiduà quasi ventilatione, iisdem novam semper animam, æternùmque vigorem aspirant.

Verumtamen, uti nunc se habet infirmitas ista vitæ mortalis, utque est animæ corpori insitæ atque concretæ, & adhuc à Deo peregrinantis conditio; admirabilis illa & ineffabilis pulchritudo divinitatis, non jam per se ipsam nobis proposita, sed per interpositam assumptæ nostræ humanitatis tanquam nubem apparens, nescio quo modo animos nostros ad amorem sui blandius allicit, potentiùs trahit, retinetque jucundiùs. Sive id fortassis efficit, ex ipsa ejusdem naturæ consortione, similitudo major, & velut cognatio cum Deo; quippe ea solet blanda esse amoris conciliatrix: sive etiam ipsa Divinitas, per susceptam carnem nobis propior atque familiarior effecta, vim suam intendit & magis exerceat è proximo: sive (quæ suavior est, & S. Augustino valde amica cogitatio) ille ipse natus Divinitatis fulgor, qui plenâ luce incurrens in sensus mortalium, eorum aciem præstringeret, hebetaretque; idem per eam humanitatis nubem tanquam refractus & attemperatus humanis oculis, eos blandius rapit ad sese, afficitque familiariùs. *Nube enim tegitur* (inquit S. Augustinus) *non ut obscuretur, sed ut temperetur.*

Tract. 34. in  
Joan.

Magna igitur est ac potens amoris illecebra, per susceptam carnem quasi translucens & intermicans Divinitas. Itaque illa divina sapientia, cujus jam olim fuere delicæ, esse cum filijs hominum, tunc maximè visa est hominibus delicias facere, & arcanis mirisque modis mirabiles sui amores excitare, cum (ex ejusdem S. Doctoris phrasi) commixta est carni, *ut infantia nostra lactesceret*; eoque facta est ad amoris tela potentior, quò sibi injecto carnis nostræ velamine, fieri videbatur occultior. Habent enim vim certiozem dissimulatæ, nec prorsus apertæ blanditiæ; magisque oculis lenocinatur, per veli subtilis raritatem, partim abdita, partim prodita pulchritudo.

Sic

In Ps. 30.  
l. 7. Conf. c.  
18.

Sic enim & Beatus Gregorius, DEUM omnipotentem, ait, in præfenti vita dulcem nobis fieri per effecta quedam mirabilia; & tamen in sua celsitudine manere occultum:

L. 16. Moral. c. 13. ut & quedam monstrando de se, occultâ nos inspiratione in suo amore succendat; & tamen abscondendo Mâjestatis suæ gloriâ, amoris sui vim per æstum desiderij augeat.

## §. 2.

Nonnullæ de re proposita S. Augustini cogitationes.

VERùm audiamus S. Augustinum, eleganter ac dulciter, ut solet, super ea re differentem. Is enim in libris Confessionum suarum de Filio DEI incarnato verba faciens, ita

L. 13. c. 15. loquitur in rem nostram: *Attendit per retia carnis, & blanditus est, & inflammavit, & cucurrimus post odorem ejus.* Loquitur expertus sanctas illas delicias, & blandè ruminat quod cum voluptate gustavit. At inspiciamus (si placeat) propinquius ipsam S. Doctoris mentem, & sub isto verborum involucre latente sensum enucleemus.

*Attendit, inquit, per retia carnis, & blanditus est.* Quò admodum enim sponsus subinde alludit sponsæ atq; blanditur, dum eam per semireclusâ fenestræ rimam, aut cancellorum intervalla respectat, videre amans, & videre dissimulans: ita, ex S. Augustini sensu, DEI filius per susceptam humanitatem, tanquam per fenestrarum retia, cancellosve prospiciens, & nobis adhuc ex occulto quidem, sed magis de propinquo blandiens, amore sui corda nostra succendit. Etenim si S. Doctoris mentem propius inspiciamus; retium nomine, non quod vulgò solet, intelligit; sed eas quas dixi fenestras cancellatas aut reticulatas; secutus receptam tunc versionē septuaginta Interpretum Canticorum II. ubi pro eo quod habet vulgata nostra: *prospiciens per cancellos;* ipsi vertunt: *prospiciens per retia;* ad quem equidem locum non dubito S. Augustinum, dum ista scriberet, respexisse.

Quan-

Quamquam & fortassis ambiguo vocis, eò non illibenter  
 usus est; quòd membra ipsa, actusq; Deo conjunctæ huma-  
 nitatis, etiam retia sint & plagæ, quibus ille corda nostra  
 capret, iisq; demum nos circumventos ac comprehensos,  
 amoris sui captivos efficiat. Quamobrem ipsi filij Adæ,  
 qui priusquam Verbum caro fieret, artes omnes eludebant  
 amantis DEI, neq; quibusvis propositis illecebris teneri aut  
 capi poterant, sed ibant vagi in viam cordis sui: postquam  
 DEI filius hominis filius factus est, & cordibus hominum,  
 capiendis, extremo tanquam divinæ artis experimento,  
 blandum istud amoris rete expansum, cessere nimirum ei  
 suavi violentiæ, seq; ultro in plagas induentes, & inexpli-  
 cabilibus atq; ineluctabilibus illecebris constricti, præda-  
 deniq; amantis atq; venantis DEI facti sunt, impletumq; est  
 quod olim prædixerat per Prophetam: *In funiculis Adam.* *Osea 11.*  
*trabam eos, in vinculis charitatis. Blanditus quippe est, ut ait*  
*S. Augustinus, & inflammavit, & cucurrimus post odorem ejus.*

Idem S. Doctor alio quodam loco, ejus verbi DEI,  
 quod Scripturis sanctis continetur, tametsi tot umbris & fi-  
 guris obtekti, vim & efficaciam admirans: *Magna, inquit, In ps. 138.*  
*Sacramenta fratres. Quomodo loquitur nobiscum spiritus DEI?*  
*quomodo nobis facit in hac nocte delicias? quid est hoc, roga-*  
*mus vos fratres? Inde dulciora, quò obscuriora. Conficit nobis*  
*portionem ad amorem suum, quibusdam modis suis miris. Quæ*  
 quidem à S. Augustino de verbo DEI temporali sacris litteris  
 expresso prolata, ad ipsum sempiternum DEI Verbum carne  
 nostrâ obtektum, etiam ex sui authoris mente, meritissimè  
 transferri possunt. Quippe quod isti verbo DEI scripto sunt  
 illæ formosæ allegoriarum & figurarum umbræ, quibus quo-  
 dammodo convertitur & opacatur. hoc, Verbo æterno, est  
 tegmen illud & umbraculum ei circumfusæ humanitatis  
 nostræ. Et veluti illa (ut alibi idem S. Doctor appellat) *tot L. 11. Conf.*  
*paginarum opaca secreta* legentium animos magis oblectant *c. 3.*  
 ac de-

ac detinent; inde (ut ait) dulciora, quò obscuriora: ita æternus ille paternæ substantiæ splendor, carnis nostræ tegmine obumbratus, eò se dulcius sensibus nostris insinuat, quò blanditur occultius.

Quod verò philtum, aut quæ potio amatoria potuit excogitari potentior, ad animos nostros divino amore afflandos & capiendos, quàm Verbum caro factum; quàm illa, ut loquitur Augustinus, *mixtura DEI & hominis*, quàm illud in unam hypostasim temperamentum divinitatis & humanitatis?

Epist. 3.

Sanè quemadmodum ardentem atq; insanè amantes interdum solent; qui ubi successum non habent consueta & innocentes illecebræ, ad improbas artes & amatoria medicamenta deveniunt; ut quem aliter non obtinent, vel venenis amorem extorqueant: ita hujus Patris phrasim secuti dicere possumus; ingenti nostri amore captum, simile quiddam (sed piâ fraude) fecisse DEUM, *De medullis* quippe *Divinitatis suæ* (ut S. ait Hieronymus) confecit nobis potionem ad amorè suum, Verbum scilicet ac sapientiam suam, quodammodo carni infundens atque commiscens, ut eâ nostræ infirmitati dulcesceret; atq; ita charitate suâ in cordibus nostris, velut potenti succo, diffusâ, immutaret affectiones nostras, tandèmq; nos in se, suisq; amorem converteret. Tanti fuit supræ illi hominûmq; amatrici bonitati nos sibi adjungere, & nostrum deniq; vermium vilissimorum amorem, sive ab odiosè fastidiosis impetrare, sive de præfractè contumacibus extorquere. Atq; hæc ferè ex Beato Augustino.

In Ps. 109.

§. 3.

Concluditur caput hoc, quibusdam locis eodem pertinentibus à S. Bernardo adductis.

AT priusquam hoc caput finiám, in quo fortè abducor  
longiùs ipsá argumenti suavitate: delectat ex mellifluo  
Bernardo nonnulla ad extremum adducere, & ijs quæ dicta  
sunt confirmandis, ita ex ejus mente philosophari.

Deus quidem amabilitas summa est, sed hoc tamen  
nomen majestatis est ac potentia; ideòq; sacrum quendam  
horrorem mentibus ingerit, timorem incutit, extorquet  
venerationem. At JESUS, tametsi DEUS est, tamen be-  
nignitatem, philanthropiam, humanitatem sonat, nec ter-  
rorem infert, sed provocat amorem. Itaq; mellitus ille  
Doctor ad illud è Canticis: *Oleum effusum nomen tuum*; hoc  
ipsum argumentum versans: *Profectò* (inquit) *majestatis & serm. 15. in*  
*potentia nomen, in id quod est pietatis & gratia quodammodo Cant.*  
*transfunditur. Nomen verbi causá, quod DEUS est, nonne in*  
*id, quod est nobiscum DEUS, hoc est, in Emmanuel, liquefcit*  
*& deficit? Quid enim istud est: DEI nomen in JESUM seu*  
*Emmanuel liquefcere, resolvi, & quodammodo deficere?*  
nisi hoc illi comparatum, mollius esse atq; amabilius; &  
DEUM per Emmanuelis nostri humanitatem transfusum  
(veluti subinde in ijs, quæ percolantur, evenit) suá quasi au-  
steritate positá, mollioris jam esse ingenij, & in quendam  
nostris magis attemperatam sensibus liquari suavitatem.

Quod ipsum alio in sermone, non minùs eleganter,  
nec minùs dulciter exprimens; cum eundem Dominum no-  
strum consideraret, & ut regnantem super sidera, & ut inter  
lilia (hoc est, inter mortales) commorantem: *Qui in altif- serm. 70. in*  
*simis est Dominus* (ait) *in imis est dilectus; super sidera regnans, Cant.*  
*& inter lilia amans. Amabat & super sidera, quia nusquam &*  
*nunquam non amare potuit, quia amor est: sed donec ad lilia*  
*descendit, & pasci inter lilia compertus est, nec amatus est, nec*  
*factus dilectus. Quasi antea amaret quidem, sed amari non*  
posset; nisi posteaquam, majestate positá, & nostrá susce-  
ptá humanitate, in terris visus est, & familiariter cum ho-  
mini-



minibus conversatus, atq; inter illos mira patrandò, & a-  
cerba pro illis sustinendo, quantopere illos diligeret, evi-  
dentiùs ostendit; ut immensus ejus erga nos amor, non di-  
cam usurpari oculis, sed manu tangi atq; palpari quodam-  
modo videretur. Ergo nunc gratiæ, miserationis atq; in-  
dulgentiæ tempus est; neq; in Verbo humanato, & (ut lo-  
quitur S. Hilarius) concarnato propter nos, terroris causas,  
sed amoris duntaxat habeamus.

L. 6. de Tri-  
nit.

Olim cum D<sup>e</sup>us justitiæ suæ indulgens, vindictæ o-  
mnia, misericordiæ perparum concederet, & non nisi ful-  
mina meditans, tonitrua loquens, cædes tantùm spiraret,  
& sanguinem; & vel igne immisso de cælo, vel terræ hiatu,  
vel ignitis serpentibus in rebelles sibi populos mortalesve,  
faviret, meritò audiebat, D<sup>e</sup>us magnus, & fortis, & ter-  
ribilis in consilijs super filios hominum, Dominus exerci-  
tuum, & D<sup>e</sup>us ultionum. Quâ cogitatione percussus ex-  
clamat quidam Propheta: *Quis non timebit te, ô Rex gen-  
tium?* Nunc autem cum amisso furore, idem ipse humani-  
tatem induit, neq; jam D<sup>e</sup>us ultionum dicitur, sed Pater  
misericordiarum, nec jam manus habet armatas fulmine,  
sed clavis confixas in cruce, nobis nimirum commutandæ  
sunt voces, atq; dicendum: *Quis non amabit te, ô Rex cor-  
dium?* Hoc quippe jam regnum in nobis affectat, amans a-  
mari, non timeri desiderans: quemadmodum magis mani-  
festum erit in sequenti capite, ubi jam speciatim de Christi  
crucifixi amabilitate disquirimus.

Jerem. 10.

## CAPVT VII.

*Christus crucifixus supremum amoris incita-  
mentum.*

**U**T igitur ad illud quod nobis erat propositum, & cuius  
gratiâ reliqua ista præmissa sunt, aliquando deveniã-  
Sicut

si tanta est amoris illecebra, Verbum abbreviatum in carne: quid erit Deus propter nos exhaustus & exinanitus in cruce? si tanta dulcedine nos afficit Verbum infans, in præsepi jaceus, in stipula vagiens, Deus homo factus in terris visus, & cum hominibus conversans: quid faciet Deus conscissus flagris, vulneribus hians, sanguine defluens; Deus percussus & humiliatus; Deus in cruce pendens, in patibulo moriens, & moriens amore nostri? Præclare siquidem hic dixit B. Catharina Senensis: *animam venire ad perfectam cognitionem Divine charitatis, in passione Christi; quia tunc (inquit) ignis latens sub cinere nostro cepit se plane manifestare.* Etenim, ut indicavimus, idcirco Verbum caro factum est, ut ignem in terram mitteret, & mortalium corda magis è propinquo, ardore suæ charitatis incenderet. Quemadmodum enim, ex Peripateticorum sententia, elementum ignis in Sphæra sua, sive in lunaris cœli concavo existens, ob nimiam suam raritatem non urit, sed alligari debet & incorporari cum nostrate materia, ut vim habeat urendi: ita Verbum Divinum, quod in sinu paternæ æternitatis velut in propria sphæra consistens, ex S. Bernardi supra posita cogitatione, à nobis amari vix poterat; materiæ nostræ illigari debuit, & in carnem quasi crassescere, ut ardoris sui vim exerceret, & nos deniq; in amorem sui, suamq; naturam converteret. Verumtamen (quæ est istius Virginis Theodidactæ commentatio) in reliqua vita fuit instar ignis latentis sub nostro cinere, debuitq; in passione sua, per flagella, tormenta, cruciatus, tanquam exagitari ac succuti, quò fulgorem suum vehementius explicaret, & vim ac copiam divinæ suæ charitatis ostenderet.

Rectè igitur etiam Beatus Laurentius Justinianus, qui cùm ita de Verbo incarnato prælocutus esset: *Quis autem non languesceret, quis non jucundo inebriaretur amore, si videret ambulans Verbum, sapientiam loquentem, Unigenitum.* *De cast. con. nub. c. 5.*

DEI cum peccatoribus conversantem, lacrymantem, orantem, spiritu frementem, in carne patientem, carnisq; languorem sustinentem? Deinde ad Christi passiones speciatim sermone converso: Prorumpant nunc (subdit) in medium, probra, contumelia, blasphemie, illusiones, sputa, alapa, flagella, corona spinea, sceptrum arundineum, purpurea vestis, effusio sanguinis, poculum fellis, apertio lateris, dolor matris, & cruciatus ignominiose ac dire mortis. Omnia hac habent voces suae Amoris. Sic ille.

Insistamus ergo huic argumento otiosius; & quando triplex est praesertim amoris illecebra; bonitas conjuncta cum insigni beneficentia, pulchritudo, atque suavitas; ostendamus haec tria Christo crucifixo praecipua ratione convenire, nullumq; adeo incitamentum ad sui amorem conciliandum, & corda nostra rapienda illi deesse.

## §. I.

*Singularis IESU Christi bonitas ac beneficentia, in ejus passione commendatur.*

ERTÈ bonitas ac beneficentia praecipuum amoris incitamentum est: amor quippe ad amorem trahit, philtromq; innocens, sed potentissimum est, amare, à quo cupias amari. *Sed ubi quaeso* (inquit alibi citatus Doctor Seraphicus) *magis apparet diffusio bonitatis divinae, & benignissima Clementia dulcissimi & amantissimi DEI & Domini nostri IESU Christi, quam in passione sua? ubi talia, tanta, tam turpia & gravia sustinere voluit, pro inimico suo liberando & glorificando? Et rectè Beatus Ambrosius summam in hoc Christi erga nos charitatem agnoscit, quòd non carnem modò, sed crucem etiam pro nobis susceperit. Corpus enim suscipiens* (inquit) *Dominus IESUS Christus charitatis se vincula illigavit, & non solum se membris nostris & passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit. Rursùmq; S. Bonaventura ipsum Chri-*

P. 1. sim.  
5. 4.

serm. 3. in  
psal. 118.

Christum crucifixum alloquens: *Nimia fuit (inquit) dilectio tua: & in hoc apparet abyssus tue immense pietatis. Non enim in te video causam mortis, nisi superabundantiã charitatis.* P. 1. serm. 6.  
 Quò jam magis placeat hoc loco, quod quidam Nostrorum ingeniosè commentus est: quemadmodum in morbis ignotis & insolitis aperiri solet in defuncti corpore membrum illud, in quo mali origo latuisse creditur, quò morbi ratio ad extremum deprehendatur: ita fortè Christo post mortè lanceà cor apertum fuisse, quasi indicaretur leti causam in eo latere, & prodigiosa illa symptomata mortisq; genus adeò insolens, non nisi à nimio cordis ardore, ab amoris inquam erga nos excessu, ortum habuisse. Sic enim Doctorem Seraphicum jam audivimus, post accuratam Crucifixi contemplationem, velut quadam factà interiorum ejus anatomicè, dilertè pronunciantem: *Non inuenio in te causam mortis, nisi superabundantiã charitatis.* Quam cogitationem tanquam calculo suo confirmans S. Bernardus: *Nam in opere quidem (inquit) patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur.* ser. 4. hebdom.

Ne verò in isto amoris excessu commemorando aut commendando prolixior existam, de quo & multa jam diximus, & plura dicendi sæpiùs recurret occasio; id modò nunc dicam: istam charitatis Christi abyssum aliquousque penetrare volenti, attendendum duntaxat; in quod ille profundum, sive doloris, sive ignominie, & usquequod demum indignitatis, amore nostri in passione descenderit: eousq; nimirum, ut & instar vermis conculcati atq; contriti, suorum tabe vulnerum per omne corpus oblitus atq; fœdatus sit; & instar vilissimi scarabæi, in luto probrorum & dedecorum volutatus. Sic enim de Christo rursus Beatus Ambrosius: *Vermis in cruce, inquit, Scarabæus in cruce: quorum prius habetur ex psalmo 21. posterius autem desumpsit ex Habacuc cap: 2. ubi juxta versionem septuaginta Interpretum* l. 10. in Luc.

pretum, sic legitur: *Scarabeus de ligno clamabit*; quod ipse de Christo in cruce clamante interpretatur.

Huc nempe impulit Dominum JESUM amor suus, ut nostrâ causâ velut vermis & scarabæus, hoc est, miserimus & abjectissimus factus sit. Ut proinde istam divini amoris aduersum nos magnitudinem, & (velut Alphonso Madritensi, & Florentio Carthusiano, aliisque apud Bosium, loquutus est) intemperantiam, non alia melius loquendi figurâ exprimere liceat, quàm si cum Scriptura & Patribus dixerimus, infinitam illam maiestatem ac bonitatem, ad speciem quandam insaniam nos deamasse. Non quasi in DEUM re ipsa cadere possit insipientia; sed quòd amore nostri, ad ea descendit & abjecerit se, quæ (ut principio partis istius dicebamus) humano sensu divina metientibus, absurda proferus & DEO indigna visa sint, & quandam adeò stultitiæ imaginem præferre. Sic enim, Apostolo teste, *verbum crucis pereuntibus stultitia est*; ibidemque legimus, *stultum DEI* (scilicet DEI stultitiæ.) Et ipse Christus in psalmo ad Patrem: *Tu scis* (inquit) *insipientiam meam*: quòd nempe (ut interpretatur Sanctus Augustinus) nihil tam insipientiæ simile videretur; *quàm cum haberet in potestate, unâ voce suos persecutores prosternere, pateretur se teneri, flagellari, conspui, celaphizari, spinis coronari, ligno affigi*: idque amore nostri, quos non modò hæcenus habuisset sibi inimicissimos, sed (ut in plerisque quidem videre est) aduersum hunc suum tantum amorem sensurus esset ingratos. *Hoc imprudentia simile & stultum videtur*, inquit S. Augustinus: quanquam ut idem ait alibi, *stultum ipsius, sapientia nostra est*. Denique S. Hieronymus, Commentarijs in Isaiam, iisdem allegatis Scripturæ locis, non dubitat Christum, stultorum principem appellare, eorum scilicet, qui *stulti propter Christum facti sunt*, sicut ipse Christus tanquam stultus factus est amore nostri.

Expl. pass.  
c. 9. Dilla  
Patru c. 2.

v. Cor. 1.

Psal. 68.

in Pf. 40.

Isai. 35.

Adeo hic quoq; quodammodo verum est vetus illud:  
*Amare & sapere vix ipsi DEO concedi.*

*Publ. Syrus.*

§. 2.

*IESU crucifixi rara & eximia pulchritudo.*

Am pulchritudo, quæ potentissima est humanorum cor-  
 dium amorumq; prædatrix, quanta tibi in Christo cruci-  
 fixo esse videtur? Cave enim putēs, tunc solum speciosum  
 fuisse præ filijs hominum, cum vel infans materno in gremio  
 luderet, vel adolefcent proficeret gratiâ apud DEUM & ho-  
 mines, vel virili dignitate florens inter populos versaretur:  
 at per tormenta jam atq; flagella, per livorem vulnerum,  
 sputorum dedecora, cruoris lituras, pallorem mortis, omnē  
 illam pristinam speciem, vultusq; decorem ac dignitatem  
 intercidisse: quasi ille quidem pulcher admodum sit in sinu  
 Patris, pulcher in sinu Virginis, at deformis ac fædus in si-  
 nu crucis. Siquidem & Christus crucifixus, etiam ad mira-  
 culum pulcher est: sed ijs profectò qui ad id acutos & exer-  
 citatos sensus habeant, quiq; etiam per hæc dedecora, in-  
 termicantis cujusdam arcana pulchritudinis lineamenta ac  
 formam internoscere possunt; non ijs qui duntaxat hæreant  
 in externa specie, & ultra ea, quæ in sensus carnis incurrunt,  
 aciem nequeant mentis intendere. Quorum vox illa est in  
 Isaiâ: *Non est species ei, neq; decor. Et vidimus eum, & non*  
*erat aspectus.* Etenim, si S. Augustino credimus, *Judeorum*  
*personam gerebat Propheta, cum diceret: Vidimus eum, &*  
*non habebat speciem neq; decorem. Intelligentibus autem (in-*  
*quit) & Verbum caro factum (utiq; & Christus crucifixus)*  
*magna pulchritudo est. Unde subdit: Mibi autem absit glori-*  
*ari, dixit unus amicorum sponsi, nisi in cruce Domini nostri JE-*  
*SU Christi. Atq; subinde rem magis explicans: Nobis ergo*  
*tam credentibus (ait) ubiq; Sponsus pulcher occurrat. Pulcher in*  
*celo,*

*Isai. 33.*

*In psal. 44.*

caelo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher inuisans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro. Vidésne quòd ait: etiam in flagellis, etiam in ligno atq; sepulchro pulchrum esse? quia nempe, ut ibi subiungit, *summa & vera pulchritudo iustitia est*: cuius utiq; iustitiæ partium omnium apta inter se se, summâ cum dignitate atque suavitate, consensio inter cruciatus & opprobria in Christo præsertim emicuit, divinósq; etiam rapuit oculos. ut jam non verear, favente S. Ambrosio, nec ipso opinor, repugnante Augustino dicere: Pulcher in utero, sed pulchrior in ligno: pulcher in fascijs, pulchrior in flagellis; pulcher in miraculis, pulchrior in opprobrijs; pulcher in monte Thabor, pulchrior in colle Calvariæ; pulcher in gremio Matris, pulchrior inter brachia crucis.

Audi Ambrosium, ita pulchrè de Christo crucifixo, & appositè in rem nostram: *Ego flos campi, & lilium convallium. Flos odorem suum & succisus reservat, & contritus accumulatur, nec avulsus amittit. Ita & Dominus JESUS in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, & illà lancea punitione succisus, sacro speciosior fusi cruoris colore vernavit, mori ipse nescius, & mortuis aeterna vitæ munus exhibans.*

Ergo ex S. Ambrosij mente, speciosior fuit flos ille divinus, cum in stipite crucis velut succisus atq; contritus, externâ specie in hominum oculis emarcuit; neque fusi cruoris infectione decolorari visus est, sed novum decorem accipere, & tanquam tincturam speciosissimæ charitatis.

Aptè quippe idem Augustinus alium psalmum exponens, exquisitam illam divini Sponsi pulchritudinem, quæ ad se rapit animas sanctas, docet præsertim in charitate (quæ etiam eidem vera est iustitia) consistere, quæ quoniam in Christo

Christo nusquam excellentius, quàm cum crucifixus est, apparuit; consequens est eum, haud usquam alibi speciosiore, quàm in ipsa crucis deformitate fuisse. Sed juvabit ipsa S. Doctoris verba ponere: *Sponsus est ille, inquit, quo nihil est pulchrius: qui quasi sedus apparuit inter manus persequentium; de quo paulò antè dicebat Isaias: Et vidimus eum, & non habebat speciem, neq; decorem. Ergo Sponsus noster sedus est? abste. Quomodo enim illum Virgines amarent, quæ in terra maritos non quaeserunt? Ergo persequentibus sedus apparuit. Non enim habebant oculos, unde Christus pulcher videretur. Nam ut noveritis, quia pulcher est Christus, qui amatur, audi Prophetam: Speciosus formâ præ filiis hominum. omnes homines superat illius pulchritudo. Tum istud præclare subjicit, cujus gratiâ reliqua posuimus: Quam rem amamus in Christo? membra crucifixa, latus vulneratum, an charitatem? Quando audimus, quia passus est pro nobis, quid amamus? Charitas amatur. Amavit nos, ut redamaremus eum.* Et quæ sequuntur.

Ille igitur quasi leprosus, ille vermís, atq; hominum incredulorum opprobrium, etiam per sputorum dehonestamenta, per vulnerum livorem, per laceros artus, & membra confusa suo sanguine, credentium oculis divinam ostentat atq; ingerit pulchritudinem, eòq; etiam animabus sanctis speciosior apparet atq; amabilior, quòd eum intelligant, amore sui ad tam indigna ac deformia devenisse.

Adscribamus deniq; verba S. Bernardi, de hac Sponsi nostri pulchritudine, etiam in infirmitate carnis & abjectione passionis, ita philosophantis: *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine JESU, in forma DEI, in die aeternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris! Quàm mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui hujus positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ser. 45. in ubi naturalibus radijs lumen indeficiens exivisti (quod in Incar-*

M m

natio-



natione & præfertim in passione contigit) *ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulgit, ibi amplius gratia radiavit.* Hæc de secundo.

## §. 3.

*De ejusdem Salvatoris nostri, inter amara passionis suæ, incredibili suavitate.*

**P**ORRÒ si suavitas quæritur, si dulcedo spiritûs, si sancti amoris blanditiæ, audeo dicere, nusquam Dominum Jesum Christum, quàm in ipsa cruce, in eo tormentorum horrore, in ea tanta tamq; incredibili passionis suæ ac mortis amaritudine, amantium sensibus dulciorem ac blandiorem esse. Pulchrè siquidem S. Augustinus, in illa verba Psalmi 117. *Circumdederunt me sicut apes favum* (nam postremam vocem addit ex græca versione) de hoc ipso differens, ita loquitur: *Nescientes persecutores, fecerunt eum nobis ipsa passione dulciorem, ut gustemus & videamus, quàm suavis est Dominus, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

*serm: 61. in  
Cant:*

Sanctus porrò Bernardus sermone quodam in Cantica, cum illa S. Augustino paria dixisset: *Per has rimas* (hoc est, per aperta Salvatoris vulnera) *licet mihi sugere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo; id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus.* Et ista: *Patet arcanum cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis Sacramentum; patent viscera misericordie DEI, in quibus viscevit nos oriens ex alto.* Tum verò subjungit, quod præfertim huc pertinet: *Quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clarior, quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu Domine, suavis & misericors, & multæ misericordie?* Rursum autem Christum crucifixum, cum eo quem sese demonstraturus est in gloria, quodammodo comparans: *sublimis, inquit, in Regno, sed suavior in cruce.* Quod non ita dictum putabimus, quasi etiam in re-  
gno

gno, atque ibi in primis, suavissimus non sit: alioqui enim unde illa Sanctorum ebrietas ab ubertate Domus DEI? unde illi dulcissimi sensus, æternâq; gaudia? unde illi torrentes voluptatis? Verumtamen Christo, in regno sedenti sublimitatem, in cruce pendenti suavitatem attribuit: quod anima in terra peregrinanti, & sub crucis umbra requiescenti, nescio quomodo dulcius sapiat sponsus suus, in illo florido amoris lectulo extensus. Nam illa dulcedo cœlestis fluminis, cujus imperus inundat & lætificat civitatem DEI, longè omninò ab illa est, & non nisi paucas illius stillas delibet in hac solitudine: ut sanè regnantis in cœlo sponsi sublimitatem agnoscat, vix sentiat suavitatem. At in cruce pendens vir ille dolorum, tametsi fructus est terræ sublimis, & profunda crucis humilitas mentes etiam angelicas ipsâ mysterij excelitate transcendit: per illa tamen dehonestamenta, & passionis ignominiam, obumbrari videtur atque occultari sublimitas, & sola apparere & allicere suavitas. Sic igitur ex S. Bernardi sensu, hic pallor præ illo splendore magis attemperatur nostris sensibus; terret ille, hic mulcet; & regni majestas sublimitatem habet, crucis humilitas suavitatem.

Sed resistamus in his paululum: & quando suavitatem ac blanditiâ adeò ducimur, Crucifixi dulcedinem, quâ ad sui amorem nos inescat, otiosius regustemus. Hic enim si uspiam, dulcis ille sponsus animarum nostrarum amat nobis facere delicias, attendens per retia carnis, & amorem nostrum quodammodo eblandiens, ut ipsius desiderio inflammari, curramus in odorem ejus. *En ipse stat post parietem nostrum; luteam, inquam, carnis nostræ maceriam: ut enim eleganter S. Augustinus: edificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret à se ipsis, 18. sanans tumorem, & nutriens amorem. Inde nobis velut dissimulante, sed oppidò dulciter blanditur, respiciens per fenestras*

Cant: 2.

l. 7. Conf. 6

Mm 2

fenestras

*nestras, prospiciens per cancellos; hoc est, per vulnerum aperturas & sulcos verberum, quibus jam fenestrata apparet, & velut cancellatim dissecta, sacratissima ejus humanitas. Ista enim sunt dulces transfennæ, ista arcana reticula, per quæ quodammodo ex occulto prospiciens amor tuus, ô bone JESU, satis tamen eminens ac se prodens amabilibus insidijs, furtivis blanditijs corda nostra prædatur. O felices plagas! amabilia retia! quibus utinam sic capiatur & irretiat cor meum, ut jam inde sese extricare nequeat, incautâ libidine perniciosæ libertatis.*

Ecce jam à terra exaltatus es, Domine JESU; jam in summo sphaeræ tuæ vertice, in fervore diei, in amoris meridie constitutus. Trahe me ad te ipsum, ex verbo tuo; & inter tot corda te amantium, quæ de trophæo crucis tuæ religata dependent, cor istud misellum, de luto sublatum, & à terra avulsum, tuis deniq; militaturû amoribus, tuis ignibus arsurum, suspende. Ut enim piè ac dulciter quidam amator tuus: si ejusmodi cor haberem, ut majus esset quam omnia corda filiorum hominum, atq; in se uno Angelorum omnium amores ardorésq; complecteretur; illud tibi integrè tribuere deberem; essetq; munus exile & quasi nihilum, præ dignitatis ac bonitatis tuæ magnitudine: *quantò magis*

*P. 2. sim. c. 3. ergo illam parvam scintillam cordis quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponam? Ita Seraphicus Bonaventura.*

## CAPUT VIII.

*Ad amorem JESU Christi crucifixi parænetica invitatio.*

**I**stis porrò in universum de JESU crucifixi amabilitate propositis, descendendum nobis est ad particularia ejus amoris exercitia: quod quidem deinceps facturi sumus, si tamen

tamen prius in hoc capite, ad animos nostros ad id officij efficacius invitandos, nostram in hoc ipsum obligationem paucis exposuerimus, & quasi artis Crucifixum amandi generale præceptum tradiderimus.

Rectè etenim Cornelius noster: *Crux, inquit, est Academia divina bonitatis, & amoris purissimi aequè ac immensi: In Prov. c. 1. ut in ea Christum contemplans, cogaris ex stupore exclamare: ô bonitas! ô amor! quantum me amasti! quam caro pretio me redemisti! quanta bona tuis malis mihi contulisti!* Rectè, inquam, ille. Nam, si expertis credendum est, quæ brevi methodo & efficaci artem DEUM amandi doceat, profectò nulla est Crucifixi scholâ præstantior.

Adeste igitur quotquot Christum amatis, & qui non amatis, adeste tamen, ut ametis. Si adhuc nescitis, quid sit amare: en magna divini amoris schola in Calvariæ monte aperta est, *JESUS crucifixus*. Intrate tantùm in cor ejus, quod eam ob rem apertum est; & ibi palpate amorem ejus, gustate suavitates ejus. Reddite tandem amorem amori: nam si amare non delectat, tot alijs titulis dignum amari; pudor sit saltem non redamare sic amantem. *Illum ergo amemus, quem amare debitum est.* Et si non habemus, quod illi de nostro reddamus; de ipsius corde amantissimo sumamus licet, quod ei denique refundamus.

Aptè in hunc locum Sancti Præsules Paulinus atq; Ambrosius, eodémq; non tantùm sensu, sed iisdem propemodum verbis: *Quid ergo illi pro malis meis quæ pertulit, quid pro bonis suis quæ contulit, referam? quid pro suscepta carnis injuria, quid pro alapis, pro opprobrijs? quid pro flagellis, cruce, obitu, sepulturâ? Eslo reddamus crucem pro cruce, funus pro funere: nunquid poterimus reddere, quod ex ipso & per ipsum, & in ipso habemus omnia. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio. Væ enim nobis, si non dilexerimus.* Sic illi.

Verum

Verum nos deniq; non verbis modò, sed etiam exemplo, inflammet Seraphicus Bonaventura: qui in tanti mysterij contemplatione amore æstuans, tamen velut frigidè amare se credens, in omnes sese versat affectus, & in has demum suspirationes erumpit ad Amorem suum Crucifixum:

*P. 2. sim. c. 2.* O amor & desiderium cordis! ò dulcedo & suavitas mentis! ò ardor & inflammatio pectoris! ò lux & claritas oculorum! ò aurium pulchra Symphonia! ò hostia DEO Patri odorifera! ò melliflua gustatio fluxus sanguinis! ò amantissima palpatio lateris! ò anima mea, ò vita mea, ò viscera cordis mei, ò medulla ossium, vegetatio carniùm, sensificatio organorum, intellectu inpiratio, & exultatio mea! Cur ego non sum conversus totus in amorem tuum? Quare aliquid est in me, nisi amor? Quomodo possum aliud cogitare vel meditari? Et quid amore tuo dulcius? quid amplius cupio? cur ergo non sum illo illaqueatus & captus? Undiq; me circumdat amor tuus, & nescio quid sit amor. Hæc & plura S. Bonaventura: vulneratus utique, & affectus intimis sensibus, ac velut ebrius ac diffluens etiam quam in DEO JESU suo crucifixo experiebatur suavitate.

## CAPUT IX.

Contemplatio JESU Christi crucifixi, ad ejus amorem in nobis excitandum.

### §. I.

Ejus exercitij ex SS. Patribus commendatio.

Quoniam ex ijs, quæ hac parte partim prædiximus, partim proximè subjuncturi sumus, sibi quisque facile conformare possit rationem aliquam, aut modum, hujus utilis nec minùs dulcis exercitij; ipsaque experientia compertum sit, Salvatoris de cruce pendentis attentioni contemplatione, vulnerati solere piorum corda, illamq;

illamq; tristem ac doloris plenam imaginem, absque arte aut præceptis alijs, per se sufficere ad sensus nostros amore Christi vehementius inflammandos: quia tamen non inutile fuerit, Patrum quorundam sensum ea super re cognoscere, possuntq; nonnullis præceptionibus ad id iuvare, qui ejus rei usum adhuc nullum habeant; ideo ei exercitio visum est hoc caput addicere.

S. Augustinus in libro de sancta Virginitate, Virgines c. 54. & 55 Deo dicatas ad hoc amoris exercitium provocans: *Illud ipsum (inquit) quod in eo (Christo videlicet sponso vestro) derident superbi, inspicite quam pulchrum sit. Internis luminibus inspicite vulnere pendens, cicatrices resurgens, sanguinem morientis. Hæc quanti valeant, cogitate; hæc in statem charitatis appendite: & quidquid amoris nuptijs vestris (hoc est, terreno sponso) impendendum habebatis, illi rependite. Et infra: Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce.*

Similiter S. Bonaventura hortatur itidem Virgines Christi, ut sancti amoris fervorem in se assidue nutrire curet, ex ejusdem Christi crucifixi contemplatione. *Semper ergo, ait, oculis cordis sui Christum in cruce tanquam morientem videat, qui devotionem vult conservare inextinguibilem. Propter hoc Dominus dicit in Levitico: ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subiciens ligna per singulos dies. Audi soror sanctissima: Altare DEI est cor tuum; in hoc altari debet semper ardere ignis fervida devotionis, quem singulis diebus debes nutrire per ligna crucis Christi, & memoriam passionis ipsius.*

S. Bernardus libro de diligendo Deo cap: r. de hoc ipso affectu sponsæ crucifixum Sponsum contemplantis, ita loquitur: *Cernit Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua. Cernit unicum Patris crucem sibi bajulantem. Cernit cæsum & consputum Dominum Majestatis. Cernit auctorem vitæ, & gloria, confixum clavibus, percussum lanceâ, oppra-*

opprobrijs saturatum, tandem illam dilectam animam suam, ponere pro amicis suis. Cernit hæc, & suam magis ipsius animam gladius amoris transverberat, & dicit: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Plura ex Patribus suggeremus paragrapho sequenti.

## §. 2.

*Ejusdem exercitiij ratio & forma quadam proponitur.*

**I**n hac igitur contemplatione quisquis se exercere voluerit; is ante Crucifixi effigiem in genua abjectus, primum pronâ capitis inclinatione ab ipso Christo crucifixo veniam gratiamq; ad id quod agitur opportunam efflagitet: tum verò manibus ad pectus in crucis modum conformatis, & sublatis in Christum ac defixis reverenter oculis, universo quodam ac generali intuitu collustret præclaram imaginem illam atq; prædulcem, & divinâ arte profusè compositam ad amorem. Contempletur, inquam, amantissimi JESU corpus exangue, pallore, livore, vibicibus, & ipso suo cruore confusum, contusione deformatum, verberibus lacertum, vulneribus hians, perq; præduri stipitis membrâ dirè distentum atq; confixum. En ut sacrum caput inclinatum, obstitum spinis, sputis illitum, cæsarie distractâ atque convulsâ, liventibus genis, ore diducto, & suo undiq; rorans sanguine. Ecce ut dehonestatus est amabilis ille vultus, dulce spectaculum beatarum mentium: ut obscurati divini oculi, sedes amoris ac clementiæ: ut de patulo cordis vulnere torrens sanguinis & aquæ egreditur, velut fluvius de loco voluptatis.

Hic verò perculsus admiratione spectaculi, ita apud animum suum exclamet: Ecce ut præ amoris vehementiâ, exinanivit semet ipsum, atq; exhaustit DEUS tuus! En quò amore tui redactus est Sponsus tuus, anima, amator tuus, dilectus tuus, Redemptor tuus, & DEUS cordis tui. Quò deniq;

deniq; devenit lux tua, salus tua, gloria tua, dulcedo tua, amor, delicia, gaudium, & omne bonum tuum! *Quid dilexisti Domine in me* (exclamat hic S. Augustinus) & *tantum Medit. c. 6. dilexisti, ut morereris pro me? Quid tale in me invenisti, pro quo tanta & tam dura sustinere voluisti?* Itēq; ad Christum *In medit:* Guilielmus Abbas: *Cum attentius respicimus imaginem passionis tuae, silente ipsa, videris nobis de cruce dicere: Cum dilexiffem vos, in finem dilexi vos.* Ita enim res est, Domine, **JESU**; in finem amoris, extremo inquam & summo amore, dilexisti nos. *Opus sine exemplo, inquit S. Bernardus, Thom. Hibern. genia sine merito, charitas sine modo.*

Post hæc ad singula Crucifixi membra particulatim contemplanda descendens; attendat ut illa ipso suo habitu amorem spirent, & vim habeant permagnam ad dulciter afficiendos animos nostros, & sancto Christi amore inflammandos. Unde & id genus spiritualis exercitij plerisq; Sanctorum animadverto placuisse. S. Bonaventura loco supra citato hæc refert tanquam ex S. Bernardo: *Vide (inquit) ca-* *ad frat. de:* *put Christi inclinatum ad te osculandum; manus perfossas ad* *eremo ser. 32:* *largiendum; latus apertum ad diligendum; totius corporis extensionem ad se totum impendendum.* Quibus affinia sunt, quæ alij ex S. Augustino referunt: *Caput habet inclinatum ad parcendum; cor apertum ad diligendum; brachia extensa ad amplexandum; totum corpus expositum ad redimendum;* quæ partim habentur in Manuali, hoc modo: *Extendit bra-* *Manual. c.* *chia sua in cruce, & expandit manus suas, patens in amplexus* *23.* *peccatorum.* Et infra: *Salvator noster caput inclinavit in mortem, ut oscula daret dilectis suis, &c.*

At Joannes Thaulerus hæc, ut ipse appellat, amoris argumenta & indicia, quibus nos similiter ad amorem suum Christus provocat, paulò pluribus sic prosequitur: *Est sublatus in altum, ut ab omnibus videretur, latè sua extendens brachia, ut nos omnes amplexaretur.* *Duris rigidisq; ad cruce[m] clavias*



clavis affixus est, ut nos ad poenitentiam longanimiter praestolaretur. Ex omni corpore suo manavit sanguinem, ut largiter nobis potandam praeberet praecipuam sui pretiosi sanguinis medicinam. Ingentia vastaq; suscepit vulnere, ut patulum accessum securumq; latibulum in illis semper habeamus, ab omni tentationum afflictionumq; impulsu. Latus suum confodi permisit, quo viam nobis ad cor suum patefaceret. Demisit caput, quo pacis nobis reconciliationisq; amoris praeberet osculum. Quis igitur post haec (subdit idem author) tam in vitis obduratus sit, ut cuncta haec amoris signa eum non excitent, ad reddendam vicem quantam poterit, amori huic incomprehensibili? Quae ferè omnia ex eodem authore refert Blossius in Dominicae Passionis explicatione.

s. 16.

## §. 3.

*Exactior rerum propositarum & usui propior contemplatio.*

**A**Des igitur fidelis anima, & ex horum Patrum imitatione, si quando id tibi exercitij allubuerit, tria haec praesertim in Amore tuo crucifixo, *caput inclinatum, corpus extensum, latus apertum*, velut praecipuas sancti amoris illecebras, attentius contemplare.

Moribundus nimirum caput inclinat, ut tibi amoris & pacis osculum figat; ut oppressam cervicem in te recinet ad quietem; ut coronam spineam, velut causam mortis, tibi condonet; ut discessurus è mundo tibi valedicat, iugis commendet memoriam, ut pauca haec ad aurem cordis tui insusurret: dilecta anima, ego DEUS tuus enim morior amore tui. Attende & vide, si est dolor, si amor, sicut dolo, sicut amo meus. Tandem moritur inclinato & propensio in te capite, ut tu spiritum morientis excipias, ejusq; spiritu concepto, jam non tibi, sed ei qui ita te amavit, & pro te mortuus est, vivas.

Porro

Porrò quòd distentis in cruce brachijs, & manibus item ac pedibus ligno confixis, toto expansus est corpore: quid, nisi ad sese invitat, præstolatúr; pœnitentem animã, genua etiam protendens, ut aram salutis & thronum misericordiæ, promptus deniq; & expositus, ad omnium ad sese confugientium & se ex animo requirentium amplexus?

Nisi fortè eum hic contemplemur (cum B. Jacopono) *L. 5. Cant. 17.* veluti divinum sagittarium, cujus arcus sint sacratissima, ejus brachia in arcus morem in cruce curvata, pharetra autem non alia quàm apertum cor ejus, capax illud quidem, & rebus refertum innumerabilibus, iisdemq; acutis & ignitis, inflammatissimæ charitatis. Hic enim si uspiam valet illud S. Augustini: *Novit Dominus sagittam ad amorem.* *In psal. 119.* Ipse utiq; sagittarius, ipse arcus, ipse sagitta: Unde Ambrosius: *Pulchrè ergo dicit Ecclesia: quia vulnerata charitatis ego Serm. 5. in sum. Nudemus membra nostra bono vulnere, nudemus sagittam electa, sagitta hæc Christus est, qui dixit: Posuit me sicut sagittam electam. Bonum est ergo hac vulnerari sagittam, &c.* Quanquam & ipse vicissim in cruce videtur nudare pectus nostro vulnere. Quippe positus in signum, cui adhuc à multis contradicitur: nobis autem factus scopus amoris; ut gratà vicissitudine vulneremus simul & vulneremur, atque ita amore mutuo ac desiderio langueamus.

Tandemq; (quod erat extremum) grandi vulnere hiens atq; diductum latus ostentat, ut aperto aditu subingrediari, ac pervenias ad cor ejus, ad libera amoris ultro citroq; commercia; ibiq; amanter fidentèr; loquaris ad cor ejus; ibi pascas, ibi cubes in meridie; demum ut in illa exæstuvante divinæ charitatis fornace, prospicias tandem & quasi palpes magnitudinem amoris ejus, qui dilexit te, & tradidit semet ipsam pro te; simulq; accuses corporem, & inertiam cordis tui, ut qui tantæ tamq; incensæ charitati, tam malignè hæcenus tamq; frigide responderis.

N n 2.

Harum

Harum contemplatione rerum, ubi ad extremum commoveri animo sese senserit Ascata, tum ipsam Crucifixi effigiem sumat in manus, & vulnera aut membra Christi singula deosculari occipiat, sanctis affectibus & amori præsertim indulgens, inq; singulorum complexu aut osculatione morosius insiftens.

Complectatur, exempli gratiâ, speciosos pedes, totum fatigatos itineribus, ad se ovem perditam requirendam. Amplexetur genua, pro se toties in oratione submissa. Stringat manus illas beneficas, & mortalibus omnibus salutare. Exosculetur cor, nunc crudeli compunctum lanceâ, sed antea semper amore nostri dolorq; amarissimo vulneratum. Et ita de alijs.

Quibus addi potest reliquorum sensuum interiorum applicatio, secundum formulam capite sequenti subjectam. Inter quæ ea proloquatur, quæ suus cuiq; suggeret animus, ipsâ contemplationis dulcedine atq; efficientiâ commoratus. Est enim istius exercitationis ratio sanè quàm prona & obvia, neq; multo discursu aut operosa agitatione mentis indigens; sed simplici quodam intuitu, varios per sese animi motus affectusq; conciens atq; progignens; uti mox amplius declarabitur.

## CAPUT X.

*Interiorum sensuum circa Christum Crucifixum applicatio.*

§. I.

*De ejus exercitij ratione generatim.*

**H**oc genus facilis, atq; ad pios animi sensus conductibilis exercitij suggerit nobis S. Ignatius in suorum exercitiorum hebdomadâ secundâ, ubi post alicujus mysterij

*Prim. die  
contempl. 5.*

rij, exempli causâ: Nativitatis Christi, semel iterumq; repetitam contemplationem, præcipit circa illud quinq; sensus imaginarios exerceri; inspiciendo imaginariè personas quæ in eo occurrunt, quid rerum agant, &c. audiendo deinde quid loquantur; & ita de reliquis sensibus. Sive id ita fiat, cujusdam varietatis gratiâ, atq; ut animus à sua contentione non nihil relaxetur; sive quod eo pacto, res quæ jam antea meditationi subjectæ sunt, altiùs porro infigantur animo, ipsaq; mens ijs informatâ prænotionibus, suum in illis passum ac gustum faciliùs inveniat.

Quanquam causa nulla est, opinor, quin idem genus exercitij, etiam cum ad rem quampiam commeditandam, primùm aggredimur, utiliter adhibeatur; cum vel id permittet, postulabitve suscepti argumenti ratio (quo modo videmus S. Ignatium in 1. hebdomada contemplationem de inferno sub ea sensuum applicatione proposuisse) vel ipse sanè meditantis animus, quacunq; ex causa, ad profundiorrem & operosiorrem de re proposita commentationem minùs aptus sit, ideòq; faciliori aliquâ, & ad humanæ mentis indolem magis accommodatâ exercitatione detinendus. Qua de re non semel à nobis laudatus Guilielmus Abbas, ut erat modestè humilitetq; de se sentiens, in suis meditationibus ita Dominum Jesum affatur: *Cum enim sensualis imaginationis meæ rudimenta necdum supergressus sim; permittes & gratum habebis, ipsa mentis imaginatione, circa familia tuâ infirmam adhuc animam meam, suam indolem exercere; nascentis scilicet amplecti præsepia, ac primam adorare infantiam, tenere & deosculari pedes resurgentis, mittere manum in loca clavorum, & exclamare: Dominus meus, & DEUS meus!* Hæc ille;

Atque de his quoq; interioribus & spiritualibus (ut ipse appellat) sensibus, alia ex occasione agit S. Bonaventura in opusculo de septem itineribus æternitatis; post autorem

Exercit. 5.

Itin. 6. dist.  
1. 2. 6. c. 9.  
& 49.

rem libri de spiritu & anima inter opera S. Augustini, & Bernardum libro de natura & dignitate amoris divini, cap: 9.

## §. 2.

*Qua ratione circa Crucifixum ea adhibeatur exercitatio.*

**H**Ac igitur arte subinde te juvet, interiores sensus tuos circa Salvatorem in cruce pendentem exercere: ut nimirum

*Primò:* tanquam si oculis presentem illum intuearis, ita ex descripta modò à nobis imagine, accuratiùs contemplare divini oris & corporis habitum; quid rerum gerat, patiatúrve; quæ sive personæ, sive res eum circumstent, & cætera modi ejusdem; ex singulis compendium aliquod fructúmve spiritualem captando.

*Secundò:* ut attentius per imaginationem audias, quæ vel voce externâ, vel tacitâ intus cogitatione dicat ad Patrem; quibus circumstantes affatur; quid à te postulet, quid suggerat, quid queratur. Itémq; vocem sanguinis ejus, *l. 5. c. 14.* è toto corpore largè manantis. *Vocalis est enim sanguis Christi;* ut consentaneè B. Paulo loquitur S. Irenæus.

*Tertiò:* ut interiori olfactu, hinc sputorum & reliquæ fæditatis, quâ facer ejus vultus contaminatus est, putorem; aut loci etiam, in quo patiebatur, graveolentiam; inde ex adverso divinæ charitatis ejus, mansuetudinis, patientiæ, cæterarúmque virtutum, quarum tunc actibus anima ejus amoenissimè effloruit, coelestem fragrantiam, imaginariè presentifcas.

*Quartò:* ut similiter interiorem gustatum exerceas, sive circa fellei potûs amarorem, quo sitientis Salvatoris os infectum est; sive in spiritali experienda amaritudine, quâ imbuta erat ejus anima, in vicinæ mortis angoribus constituta;

tuta; sive demum in illa gustanda suavitate mirabili, ex mellifluis ejus plagis manante; præsertim autem os applicando ad vulnus amantissimi cordis, unde (uti diximus) S. Lurgardis aliq; dulcedinem inenarrabilem aliquando percepere.

*Postremò:* ut per internam tactum tanquam manibus atrectes Verbum vitæ, cõplectaris ipsius membra, deo-scularis vulnera: simulq; perentias quodammodo punctus spinarum, adactionem clavorum, cæteramq; plagarum ejus acerbiterem; earumq; sensum perinde in temet transferas, atq; si in tuo corpore, iisdemq; in membris, quibus Christus illas excepit, eos dolores experiare.

Concludat rem omnem pium cum Crucifixo colloquium, velut quemq; suos impulerit affectus.

Atque hæc ipsa exercitij ratio, etiam circa Christum in Eucharistia receptum, uti alias subindicavimus, utiliter adhiberi poterit.

§. 3.

*Adjungitur quoddam ejus exercitij corollarium.*

Verum ad calcem hujus capituli, quod ad aspectum personarum, quæ mysterio interveniunt, attinet, id addere liceat: ad sanctos affectus variandos non inutile fore, si nosmet etiam inter illas constituerimus, velut quid agatur spectantes, aut aliquid obsequij vel operæ, pro exercitij propositi ratione, sedulo exhibentes. Quo modo S. Ignatius in contemplatione de Nativitate, cum ejus mysterij personas, Virginem Deiparam, Josephum, infantem recens natum, &c. mentis oculis subijciendos admonuisset, ita subdit: *Inter quos me adesse singam, tanquam pauperculum & servulum indignum, eos spectantem, contemplantem, & eorum necessitatibus cum reverentia maxima famulantem.* Quod facile erit, ad singula Christi patientis mysteria transferre.  
Sed

Sed audiamus hîc Ubertinum de Casali in prologo primo sapiùs citato: ubi & aliam artem suggerit, nosmet videlicet in ipsas personas, quas contemplamur transformandi, eorùmq; sensus atq; affectus suscipiendi: quam equidem piam mysteria vitæ ac passionis Christi contemplandi rationem, ait se in primo religiosa vitæ tirocinio, interiori docente & manucente Christi spiritu, didicisse. Ita enim loquitur: *Fateor quòd me tantà unione jungebat sibi (scilicet Spiritus Christi) ut non tam præterita recolere, quam præsentia jugiter mihi viderer inspicere. Et nunc me asinum (inquit) nunc bovem, nunc præsepium super quod jacebat, nunc sibi assistentem famulum, nunc sibi congenitum uterinum, nunc ipsum parvulum. JESUM faciebat, me mirà transformatione sentire, in omnibus actibus vitæ suæ. Tandem juxta passionis suæ supplicia sic me transformativè sibi faciebat assistere; ut nunc mihi viderer Magdalena peccatrix, nunc quadam ab ipso electa sponsa, nunc frater & discipulus electus Joannes illius, nunc pia Mater lamentans, quæ ipsum genuit, nunc Lathro dexter sibi confixus, nunc ipse purus JESUS in ligno crucis clamans & expirans. Hæc omnia de se Ubertinus. Quorum tamen usus non nisi prudenti cum discretione assumendus est; & cuique sequenda tum directio Sancti Spiritus, tum genij sui propensio; ne alioquin nos in sensus absurdos, & vel indecoros ipsi mysterio, vel nostræ personæ aut indoli incongruentes induamus, & pro lucro fortè dispendium reportemus.*

## CAPVT XI.

*Christum perfectè amare cupienti, amorem suum proprium unà cum Christo esse crucifigendum.*

¶ I.  
 Quod hoc capite propositum est, variâ auctoritate  
 stabilitur.

Olim jam celebris, & alijs subinde Patribus usurpata est, illa S. Ignatij Episcopi & Martyris ad Romanos scribentis, sententia: *Amor meus crucifixus est.* Quod tametsi passim ita ab eo dictum accipiant, quasi eò sese ad cruciatuum mortisq; patientiam extimulet, quòd Amorem suum, Christum inquam, quem medullitùs amaret, pro se crucifixum meminisset; isq; sensus uti ad pietatem facit, ita Martyris contextui satis congruenter aptari potest: si tamen ad ea respiciamus, quæ laudatis verbis, velut se explicans, S. Martyr adjungit: *Amor, inquit, meus crucifixus est; nec est in me ignis ullius rei terrene amans; sed aqua viva in me fallens intus mihi dicit: age, ad Patrem: non malè dicemus cum eruditis nonnullis, magis esse, ut per amorem suum videatur illum intelligere, quem jam nos proprium sive privatam, aut Græcâ voce philantiam, dicere solemus; quo nimirum perversè ac præposterè ad nos reflexi, & quæ nostra sunt, non quæ Dei, quærentes, impurè quidpiam & inordinatè diligimus. Quem ille amorem suum, mutuatâ ab Apostolo voce, proptereâ Crucifixum esse dicat; quòd in se extinctum sentiret ignem seu cupiditatem, quâ rem ullam terrenam, aut omnino aliquid extra Deum concupisceret; solâq; in se subsistere aquam vivam, hoc est, solius se Divinæ gratiæ ac charitatis metu, agitari, quo impulsus spiritu, identidem anhelaret & contenderet ad Patrem. In quem etiam sensum post pauca subdit: *Nolo amplius secundum homines vivere. Cum Christo crucifixus sum: vivo enim non amplius ego, quandoquidem in me vivit Christus.**

Quamobrem quod olim, ingenioso commento, pictor nescio quis coloribus expressit in tabella, suisq; versibus repræ-

o o

repræ-



repræsentavit Aufonius: puerum Cupidinem (quem infanti amoris præsidem DEUM fabulabantur) aliquando ab Herodibus deprehensum, in arbore myrto suspensum ac crucifixum fuisse, quò expertam illius improbitatē ulciscerentur: hoc citra fabulam, ab animabus sanctis, aut Christum perfectè amare cupientibus, faciendum est; ut amorem sui privatum (quo nullum hostem infestiores, tyrannūve leviores sentiant) condignis excruciatum modis, non dicam ex veteri formula, arbore infelici suspendant, sed ex Apostoli Pauli monito, in ipsa Salvatoris cruce, unà cum ipso suffigant. *Hoc scientes* (inquit Apostolus) *quia vetus homo noster* (qui idem est re ipsā cum amore nostro proprio, aut innata naturæ corruptæ ad omne vitium propensione) *semel crucifixus est; ut destruat corpus peccati, & ultra non servietur.* Et S. Bernardus in meditationibus de eodem veteri homine agens, cum malorum omnium in genere humano illum fontem esse ostendisset, dixissetque esse contemptorem DEI, cultorem sui, inimicum Crucis Christi, &c. *Si rectè sentis*, inquit, *mecum dices: reus est mortis; crucifigatur. Instanter crucifige hominem istum, sed cruce Christi, in qua est salus & vita.* Ambrosius autem ad illa verba Psalmi 118. *Confige timore tuo carnes meas*; ita loquitur: *Confige ergo clavus, & destrue fomenta peccati: moriatur in carne tua omnis illecebra deliciarum: libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Est quidam clavus spiritualis, qui patibulo Crucis Dominica affigat has carnes.* Quod explicans subdit: *carnes animæ sunt carnales cogitationes.* Plura his affinia mox subjungemus.

## §. 2.

*Ejusdem rei diffusior explicatio.*

**A**tque ut distinctius & tanquam per gradus hic procedatur; licebit hanc omnem disciplinam ad tria capita reducere.

Pri-

*Primum:* quod veluti axioma quoddam in hac spiri-  
tuali Philosophia habendum est: Non posse in nobis Chri-  
stum crucifixum perfectè vivere, neq; nos divino ejus spiri-  
tu, nobiliter ali ac vegetari; quamdiu vivit vigetq; nostri  
privatus amor, aut donec is, quem dicebamus, vetus homo  
noster extingatur deniq; ac moriatur in nobis. Prorsus  
enim adversantur invicem, nec unà consistunt, amor nostri  
& charitas DEI, vita veteris & novi hominis, Antichristus  
& Christus. Jure siquidem Antichristi nomine appellare  
liceat amorem nostrum proprium: quòd is in omnibus ea  
quæ Christo adversa sunt, appetat, ejusq; spiritum in nobis  
suffocare moliatur. Quem etiam proinde, ut hostem sibi  
infernissimum, Christus ipse capitaliter oderit: qui utique  
idcirco venit in mundum, ut ignem illi contrarium accen-  
deret; & idcirco mortuus est in cruce, ut illum eidem secum  
patibulo configeret; eundemq; in nobis (quoad fieri posset)  
extingueret.

Quare in hoc tota est hominis spiritualis exercitatio,  
ut improbum hunc perversumq; amorem, magis ac magis  
quotidie in se minuat, ejusq; vitam, affectus, motus, ope-  
rationes præfocare satagat.

*Alterum* est: veterem hunc hominem nobis insitum,  
atq; innatum, non fato suo (ut ita loquar) sed morte vio-  
lentià extinguendum esse. Quippe qui admirandum in mo-  
dum vivax sit, ac durare pertinax; & (quod paradoxum est si-  
mile) quo plus inveterascit ac consensescit, hoc corroboretur  
& convalescat magis. Ergo ab ipso primo concepta  
nobis agnatus & congenitus, per ætatis gradus nobiscum  
acrescit adolescensq; & nisi tempestivè præfocetur, fortior  
fit nobis deficientibus, & ipsis veluti ossium medullis inole-  
scens, etiam in ipso sepulchro quodammodo nobis adhæ-  
rescit. Sic enim ad eam inolitorum vitiorum ad mortem  
usq; perseverantiam declarandam in libro Job dicitur: *Ossa* Job. 20.  
*ejus*

L. 15. Mor.  
c. 4.

*ejus implebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Cum eo enim (ait B. Gregorius) vitia in pulvere dormire, est usq; ad pulverem (seu mortem) cum non deserere.*

Hinc igitur nobis commendatur mortificationis (quæ appellant) studium: quò intelligamus, intestinam hanc pestem, veterem hominem nostrum, magnâ nobismet ipsis admotâ vi, nec sine sudore ac sanguine, mactandum ac conficiendum esse. Fallimur siquidem, si mortificationis vocem, quæ primùm ab Apostolo Paulo in rem præsentem adhibita, ad asceticos deinde tractatores transijt, molliorem in sensum accipimus, eâve aliud, sive ex vi sua, sive ex Apostoli mente, quàm cœdem & interfectionem significare putamus. Ita enim quod ex Psalmo 43, citat Apostolus: *Propter te mortificamur totâ die*; hoc est, inquam, *interficimur*; unde & sequitur: *estimati sumus sicut oves occisionis*. Et

Rom. 8.

quod alibi dixit: *ut castigati & non mortificati*: hoc est, non occisi, seu morti non traditi. Ergo & cum alibi idem Apostolus præcipit: *ut mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram*; perinde valet ac si jubeat: jugulari in nobis veterem hominem, & ea vitia quæ corpus peccati (quod alibi memoraverat) veluti membra constituunt, mactari atq;

2. Cor. 6.

destrui. Secundum quod & S. Leo Magnus: *Suscipio enim crucis (inquit) est interfectio cupiditatum, occisio vitiorum*.

Col. 3.

Audiat deniq; eam in rem S. Augustinus: qui ex spiritu ejusdem Apostoli loquens: *Ego fateor tibi (inquit) quid in me rebellat adversus mentem meam, & litigat mecum*

ferm. 2. de  
Resurr.

*delectatione contrariâ, quidquid tale in me est, omnino interficere volo*. Et alio in loco: *Quia & ipsa charitas (ait) occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio*. Ita ille præclare. Ex quo etiam intelligis, perniciosum nostri amorem, per charitatem Christi (quæ illi prorsus adversa est) opprimi ac mortificari debere.

ferm. 12. de  
verb. Apost.

In ps. 121.

Poste-

*Postremum*: non aliud magis, amori nostro proprio conficiendo, quam crucis supplicium convenire. Primum enim, quando per scelerum nostrorum atrocitatem (quorum omnium autor & parens est cujusq; nostrum privatus amor) DEI Filius in crucem actus est; jus æquumq; postulat, ut tam indigni facinoris suasor & artifex, in crucem & ipsationis vice, tollatur.

Deinde; quod ipsi DEI Filio gloriosum ac jucundum futurum sit, si hostem ipsius capitalem & insolentissimum, in aversa quasi ejusdem stipitis parte, unà cum illo configamus, eoque veluti spolio, atq; insigni victoria, crucis trophæum exornemus. Ac si (ut commentatur S. Bernardus in *In Vigil. Nat. quodam sermone*) *fortassis crux ipsa nos sumus, cui Christus* <sup>tib:</sup> *memoratur infixus*: æquum est vicissim, ut ipse Christus crux nostra sit, cuiq; nos ipsos, sive hominem nostrum veterem, amorèq; privatum suffigamus.

Deniq; cum idem Salvator eâ gratiâ in mundum descenderit, ut hostes omnes suos nostrosq; diabolum, mundum, carnem, sub quibus vitiosam cujusvis boni proprii cupiditatem comprehendimus, debellatos ac comprehensos ad crucis suæ truncum affigeret, *triumphans illos* (ut ait Paulus) *in semet ipso*: juvabit nos quoq; in idem consilium <sup>Col. 2.</sup> conspirare, & amorem nostrum de Christi patibulo suspendentes, ipsius justo desiderio ac majori gloriæ obsecundare.

Proferatur ergo denique adversus hunc improbum amorem peremptoria sententia; & justo in eum odio atque dolore exardescens, exclama hic cum S. Bernardo: *Reus est mortis, crucifigatur*. Seditiosus est, perduellis est, Deicida est; occidat, pereat, crucifigatur. Moriatur ille; quia nisi pereat, perdet nos; quia ipse Christus in nobis non vivet (hoc est, non vivemus nos) nisi ille moriatur.

Neq; hic quispiam Pilati verbis tibi suggerat: emendatum illum dimitti posse. Siquidem emendari nequit, quia natura-

naturaliter peruersus est, atq; repugnans Legi DEI. Si hunc dimittis, non es amicus Jesu Christi. *Qui enim sunt Christi (inquit B. Apostolus) carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

## §. 3.

*De eo, quòd Christus amorem nostrum secum crucifixerit.*

Porro, quod modò indicabamus, privatam illum amorem nostrum, ab ipso Christo jam crucifixum esse, non inutiliter à nobis hìc considerabitur. Nam sicut ad Apostoli verba nuper citata respiciens Origenes, ait: *in Christi cruce duos simul affixos fuisse; unum visibiler, nimirum Christum; alterum invisibiler, videlicet Diabolum, cum principibus & potestatibus suis: ita dicere possumus, Christum, itidem eadem operà, familiarem illum & intestinum nostrum dæmona, amorem (inquam) nostrum proprium, eisdem secum ligno, inaspectabili ratione confixum, cum vitijs & concupiscentijs traduxisse & triumphasse.*

Quo modo etiam de Christo, sæculi cupiditates ad crucem suam, spoliolum instar affigente, quodam loco loquitur S. Ambrosius: *Bona arundo (ceum telum acutum) caro Christi, que serpentis caput, & mundana cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.* Et alibi de eodem Christo in crucem sublato: *Nos autem quoniam trophæum jam videmus, & quòd currum suum triumphator ascendit, consideremus, quòd non arborum truncis, non quadrijugis plausiri manubias de mortali hoste quasitas, sed patibulo triumphali captiva de sæculo spoliata suspendit.* Eodem scilicet ista recidunt, crucifigi diabolum, & amorem proprium, seu carnem cum vitijs & concupiscentijs, crucifigi. *In carne enim (ait idem S. Ambrosius) Diabolus crucifigitur.* Qui rursus alibi similiter ait: *mundum in suis illecebris crucifixum esse.*

Quibus

Quibus consentaneè S. Gregorius Nazianzenus oratione 18. inter ea, quæ animo comprehensa, ad vitæ melioris studium nos ducunt, recensens Christi (uti appellat) primi Martyris cruciatus, de eodem mox ita subiicit: *Qui crucem conscendit, mecum secum duxit, ut peccatum meum affigeret, & de serpente triumpharet, & sanctitatem ligno adferret, & voluptatem vinceret.*

Sed enim cum audis, jam olim cum Christo crucifixum veterem hominem; aut amorem nostrum ab ipso Christo triumphatum; non continuo debellatum esse, aut rem omnem confectam existimes; nec jam partes ullas aut laborem ullum ea in causa à te requiri. Refigit quippe se de facili hic improbulus, atque petulanter obluens & protervè lascivens, aut clavos astutè exire, aut eos revellere contendit. Ut nisi solerter atque sedulè coërceatur, & manus assidue ad malleum & clavum adhibeatur, facile pereat impensus labor, & quasi nihil hætenus actum sit, omnis de novo sit atque ex integro res ordiendæ.

Ergo etiam nobis admovenda est manus operi, & ipsi Christo amorem nostrum crucifigenti, allaborandum. Crucifixus enim illum Christus, ejus opprimendo insolentem tyrannidem; utque jam virtute crucis armati, eum in nobis debellare, atque ex toto triumphare valeamus. Secundum quod ait supra laudatus S. Ambrosius: *Unius diei triumphus, l. 10. in Luc.* fecit omnes propè jam homines triumphatores. Eodemque sensu loco citato Origenes: *Diabolus victus & crucifixus est, inquit, sed ijs qui cum Christo crucifixi sunt.*

#### §. 4.

*Rerum isto capite propositarum extrema Conclusio.*

**U**Tigitur rem omnem in pauca contractam concludam: huc denique recidit præsentis capite proposita cogitatio; ut.

*Exp. prop. ep. ad Rom. c. 32.* ut quoniam, quod ait S. Augustinus, *veteris hominis crucifixio significata est in cruce Domini: dum amorem nostrum proprium cum Christo crucifigendum intelligimus, ad crucis exemplar respicientes, omne quod in nobis Divinæ Legi atque amoris repugnat, averfari, odisse, atque opprimere, condiscamus.* Quia videlicet (quæ summa est præsentis doctrinæ, à S. Bonaventura duobus verbis expressa) *nullus potest perfecte invenire DEUM, qui se perfecte non odit.* De quo plura dicentur parte sequenti, ubi de integra sui ipsius abnegatione.

*P. 2. sim. c. 3.*

Veruntamen placet rem istam verbis S. Hieronymi in eundem sensum bellissimè conspirantis, obfignare. Ita enim loquitur scribens in epistolam ad Galatas: *Si quis mortificationis membris, super terram & mundo mortuus, configuratus fuerit morti JESU Christi, crucifigitur cum JESU & trophæum mortificationis sue in ligno Dominice passionis affigit.* Ubi etiâ denique exclamat S. Bernardus: *Ultimam ego inveniar in his spolijs, quibus spoliata sunt contrarie potestates, inductus & ipse in possessionem Domini!* Optans videlicet nulla ex parte suus esse, neque proprium quicquam in suis affectibus retinere; sed quantus quantus est inter spolia crucis numerari, neque jam de se, sive de homine suo veteri, velut ex hoste captas manubias, ad crucis truncum affigi, sed unâ cum Christo semet ipsum crucifigendo, totus in trophæum divinæ gloriæ formari.

## CAPUT XII.

*Amantis Anima cum Christo crucifixo desponsatio.*

§. I.

*Amantem animam Christi Crucifixi Sponsam esse.* Speci-

Speciale est hoc amoris exercitium, quo sensim confue-  
scet anima Christum crucifixum, ut sponsum, ardentem  
amare, (quod exinde consequi solet) & se per omnia con-  
formare, ejusdem gloriari insignibus, eadem mensa, eodem  
strato gaudere.

Christum esse sponsum animæ sanctæ, in comperto est;  
eòq; nomine se ipsum libenter designat in scripturis sanctis;  
sive apud S. Mattheum in decem Virginum parabola, sive *Matth. 25.*  
in Cantico Canticorum & Apocalypsi. Idemq; jam olim *Apoc. 21.*  
appromiserat per Prophetam: *Sponsabo te mihi in sempiternum. Os. 2.*  
*num: & sponsabo te mihi in justitia & iudicio, & in misericor-*  
*dia & miserationibus.*

Verum iste sponsus (si nescis) in hac quidem vita mor- *Exodi 4.*  
tali, sponsus sanguinum & vir dolorum est: cujus dona, *Isai. 53.*  
sponsalitia, afflictiones & dolores sunt; vestis nuptialis,  
sanguinis sui purpura; annuli loco, clavi, stillis cruoris ve-  
luti gemmis insigniti; dapes, acetum, fel, opprobria; ge-  
nialis locus, crux; pulvillus capitis, spinea corona. Ito  
tibi habitu desponsandus, his conditionibus admittendus  
est, si sponsæ Christi titulum & honores affectas.

Id adeo olim in B. Landrada, è regio apud Belgas san-  
guine, juculento argumento monstratum est; cui utique  
jam, abdicatis mundi illecebris, uni Christo adherere cu-  
pienti, missum est crucis signum è cælo, tanquam *donum. Vit. c. 8. & 9.*  
*sponsalium*, ut nominatim exprimitur in ejus vita: quò in-  
telligeret, ad divinas nuptias aspiranti, non nisi in cruce  
sponsum quærendum; ipsumq; nuptialem contractum, non  
nisi sanguine scribi, & cruce signari oportere. *Neque enim, l. 2. Pedag.*  
ut ait Clemens Alexandrinus, *citra sanguinem licet ad Ver-*  
*bum accedere.*

Atque (ut alteri cuidam Christi sponsæ revelatum est *Gertr. l. 3.*  
divinitus) sicut annulus signum est desponsationis: sic adversus *c. 2.*  
tas tam corporalis quam spiritualis, verissimum signum est ele-



*Etionis divina, & quasi desponsatio anima cum DEO: ut proinde afflictus quisq; verè ac fideliter possit dicere cum B. Agnetæ: Annulo suo subarrhavit me Dominus meus JESUS Christus.* Quod etiam probè intelligens S. Mechtildis, cum in viso quodam acceptum à B. Virgine annulum sponso suo Christo obtulisset, non alium ab ipso optavit annulum sponsaliti-um, quàm ut sibi in digito annulari sensum aliquem doloris imprimeret, quo identidem admonente, assiduè se viro dolorum desponsatam esse meminisset. Quamobrem etiam

*Addit. ad vitam suam.*

*l. 1. c. 7.*

*cap. 20.*

dulcis Salvator, dilectam sibi S. Tereciam arcanà quadam ratione desponsans, dexteram, fidei suæ pignus, non auro & hyacinthis ornatam (quales sponsi manus descriptas habes in Canticis) sed clavo instructam atque ornatam ei præbere visus est: quò videlicet intelligeret, se per hæc fœdera, non ad geniales delicias, sed ad Sponsi tui crucifixi dolores participandos vocari. Et ipsa quoq; DEI Mater, S. Birgittam aliquando instituens, quemadmodum ipsam, quæ jam Christi Sponsa haberi vellet, parari ornariq; oporteret, inter cætera id admonuit, ut passionis ac dolorum ejus considerationem, instar monilis pretiosi jugiter ferret in pectore.

Audiatur deniq; Henricus Harphius ex Ordine S. Francisci, mysticæ Theologiæ Doctor; qui in classe secunda scholæ Sapientiæ, agens de veste nuptiali, quæ adhibenda sit ad eas nuptias, quibus Christus sibi sanctam Ecclesiam, ac proinde cujusq; nostrum animam, stabili fœdere sibi conciliat; non aliam eam esse putat, nisi voluntariam malorum patientiam, ex ipsius Christi Salvatoris amore & imitatione. Ita enim ait: *Spontanea quippe in panis patientia, cum intima adversus illos qui earum nobis auctores extiterint benevolentia, vestis est nuptialis, quâ Christus in cruce sanctam sibi Ecclesiam connubiali fœdere copulavit.*

Ex quibus apparet, opinor, quem demum cultum at-

que

que ornatum, quæ monilia, quas gemmas affectare debeat Christi sponsa: etsi id amplius intelligetur ex sequentibus.

## §. 2.

*Anima & Christi sponsalia in cruce peragi oportere.*

Quæcumque igitur fidelis anima ad Sponsi hujus amabilissimi divinos thalamos & beatos anhelat amplexus, non debet hic dulces amoris illecebras, aut cœlestes etiam atque divinas delicias, sed solam crucem & crucis appendices cogitare, & non nisi in cruce dilectum suum exquirere; sciens se non alio magis cultu Sponso sanguinum placiturâ, quàm sijsdem cum illo vestibus, hoc est afflictionibus, doloribus, opprobrijs, plagis & sanguine circumamicta, ejus se conspectui offerat, atque ad latus ejus assistens, ipsius crucis complexum atque ascensum ambiat. Ut enim rectè noster Sanctius Canticum Canticorum exponens: *Si crux genialis lectus est, in quo Sponsus cubat, in ea cubet etiam oportet, qua sponsa Crucifixi sponsi videri vult.* Quem proinde locum sibi delegerat B. Angela, quam audimus in hunc modum loquentem: *Laudo te DEUM meum: in tua cruce habeo lectum meum factum. Et pro capitali vel plumario inveni paupertatem, & in alia parte lecti ad pausandum inveni dolorem cum despectione. In predicto enim lecto ipse fuit natus, conversatus, & mortuus. Et in isto lecto ego requievi & quiesco, est enim lectus meus, &c.* Sic illa dilecta, amans, uti par est, eodem cum sponso suo toro gaudere, neque ipso cultu ornatu corporis, ei aliquatenus dissimilis apparere. Ut sanè non abs re etiam Sulmonensis Poeta quandam inducat heroida, quæ viro ad Trojæ mœnia (uti ipsa quidem existimabat) diurni belli laboribus exercito, & galeâ caput armisque reliquis membra gravato, neget sibi fas esse, comarum ornatu corporisve cultui studere, aut nisi in squalore & luctu ea belli tempora transigere.

Cant: 3.

Vit. cap: 26.

P p z

Quod

Quod multò maximè sibi faciendum intelligunt animæ sanctæ, cum Sponsum nudum in cruce pendentem, clavibus confixum, & acerbis dilaceratum aspiciunt; quando inter sese vel primo aspectu nimium dissident, hinc videlicet dolorum, inde sponsa deliciarum.

Veruntamen JESUM Sponsum ardentè amanti, eoque in crucis thalamo feliciter fruenti, ita præ amore sensim dulcescunt, & jucundè sapere incipiunt hæc omnia, ut crucis asperitatem & acerbis etiam cœlestibus delicijs præoptet; ejusdemque crucis ignominiam, summam gloriam, ac decus inestimabile repute. Quæ de re pulchrè S. Augustinus libro de sancta Virginitate: *Mens quæ Christo JESU feliciter nupsit, quæq; ei in crucis thalamo lubens conjuncta est, nihil tam gloriosum existimat, quàm ut Crucifixi sui injurias secum ferat; videlicet, ut sponsi favores (quod adjunct) seu amoris pignora, quibus interim donari & ornari gaudeat; dum admittatur ad cœlestes thalamos, in individuo atque æterno amantissimi sponsi amplexu, puris & summis & ineffabilibus delictijs perfruitura. Unde alio in loco in psal: 122. idem sanctus Doctor: Donec veniat, inquit, ad amplexus illos spirituales, ubi securè perfruatur eo, quem dilexit, & cui suspiravit in ista diuturna peregrinatione; Sponsa est, & accipit arrham magnam, sanguinem sponsi, cui secunda suspirat.*

Istâ igitur se in exilio arrhâ solatur; placetque sibi in angustijs & tribulationibus pro Christo. Jamque eò minus crucem refugit, quò eam tractat familiarius, & perspicit intimius; ipso nimirum experimento sentiens, omnem illum crucis horrorem, quo primâ fronte deterret venientes ad se, in ipso duntaxat hæere externo cortice, intrinsecus autem in ea latere abscondita gaudia comperta amantibus, inexperta non diligentibus. Demum, ubi sub umbra illius quem desideraverat, sedit; tunc fructum ejus gutturi suo dulcem experta est. Dulce quippe reddit omne asperum. umbra

umbra dilecti: ut jam nihil sponsæ sit cruce dulcius; postquam illi sponsus nativum horrorem amaroremq; inolitum suo scilicet cruore diluit, sacris membris deterfit; atq; lignum illud patibulare, extremi olim opprobrij atque supremi cruciatûs administrum, in floridum ac geniale lectulum, in quo sponsa cum sponso, crucifixa cum crucifixo, arcanis modis delectetur, commutavit. Ita nimirum ex Augustini sententia: *omnia seva & immania, prorsus facilia ac propè nulla efficiunt amor.* Et: *quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mireseunt amantibus.* serm. 48. de temp.

Propter hæc denique ait S. Bonaventura, unicum esse talis sponsæ dolorem, si videat cor suum ad aliud, quàm ad Christum passum, inclinari: *Inebriat enim se (subdit) Christi cruore, & jam dedignatur perfrui aliâ re. Nam sanguis Christi ornat genas ejus, ut Christi formis sit pura Christi sponsa. Agnoscit enim, quod in apertione lateris ejus, copulata est in conjugium ejus: & ideo semper vult stare ad latus ejus. Palpat & tractat sponsum suum vulneratum, & totum vulneratur cor ejus. Applicat cor suum vulneribus sponsi, alligat & stringit indissolubili vinculo charitatis; & sic colligatur vulnerata sponsa cum vulnerato sponso, & vulnus vulnere copulatur. Emanat sponsi sanguis in vulnera sponsæ, & ipsa deficit dolore, amor liquefit, ibiq; requiescit.* Sic ille.

## §. 3.

*Amantis animæ ad Sponsum suum Crucifixum  
suspiratio.*

**H**is porrò quæ dixi tecum accuratè perpenfis, pro hujus exercitij velut clausula, ex religiosissimi Abbatis Bloisij *Spec. spir. c.* monito; ipsum Dominum **JESUM** excruciatum, vulneribusq; confectum, elige in charissimum sponsum animæ tuæ, et magis amanter contemplare & amplectere. Nam ex ejus rosis vernantibusq; plagis, mellisui gratiarum rivi promanant. Atque  
uti

uti studiosus id facias, en habes hic subjectam formulam, & tanquam suspirationem quandam, quâ anima tua possit amanter & otiosè dilectum suum cruci suffixum compellere.

Amabilis JESU, quando id votum tuum & amantissima dignatio est, ego te plagis confectum, oppletum opprobrijs, & sanguinis tui tanquam purpurâ trabeatum, eligo in sponsum, amatorem ac Dominum cordis mei. Nescio sanè, quibus te oculis alij in cruce pendentem aspiciant. Nam quibusdam lego, JESUM crucifixum esse scandalum, alijs autem stulticiam, & plures sunt inter sequaces tuos, qui esse amare te dicant, attamen te sine cruce complecti velint, in qua nihil nisi asperitatem, probrum, amaritudinem inveniant. Et mihi equidem idem quandoq; animi sensus, eadem oculorum fascinatio fuit; cum nempe sciperem ut parvula, & adhuc in amore tuo rudis essem. Ast, ubi detersis exteriorum phantasmatum nube, aperuisti mihi interiores oculos, & gustare te cœpi, atq; amore duce, crucis tuæ intima penetrare, nusquam mihi dulcior, formosior, amabilior appares, quàm in illa deformitate atq; horrore crucis tuæ; quam tu tamen aspectu deformem ac torvam, contractu scabram atq; horridam, cultu probrosam atque infamem, nihilominus tibi desponsare, atq; arcto complexu adstringere, amore mei dignatus es. Ut proinde sit quod gestiens exclamem cum mystica illa amante: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher es; lectulus noster floridus.* Quidni enim floridum appellem lectulum crucis? quem convestit flos campi, & lilium convallium; quem Jesus Nazareus, hoc est, floridus, insternit, & vernantibus plagis suis, roseoq; pingit sanguine; ut eum jam apiculæ Paradisi, sanctæ inquam animæ, certatim circumvolitent, ejusq; florum cœlesti succo, divinòq; nectare delicatè pascantur.

Atque eundem illum floridum crucis tuæ lectulum, nostrum non immeritò appellavi; quando ad eum me admittis

missi ut sponsam: qui tamen angustus videatur, verendum non est, ne alter ex eo decidat; quia ita charitate dilataratus est, ut ad illum omnes invites, & verò omnes venientes capiat.

Jam video pristinum errorem meum, & pueriles in via spiritus sensus meos agnosco: frustra te quærebam in lectulo meo, dilecte mi; non dico inter illecebras, atq; comoda humanæ vitæ, in quibus te minimè reperiri etiam tum factis noveram: sed neq; in requie spiritali, aut divinorum solatorum suavitate mihi requirendus fuisti, qui in cruce, potius, hoc est, in afflictione, derelictione, desolatione, quæri & inveniri debueras. Crux nimirum tibi lectulus est, in quo cubas in meridie, in quo suaviter erubescis in æstu diei, in summo fervore immensæ tuæ dilectionis. In hoc ego strato te libens amplexor, Sponse mi, & tecum unâ dolores tuos, cruciatus, opprobria, tædia, derelictiones cōplector. In hoc unâ tecum jacere volo, in hoc acquiescere, in hoc cibum, somnum, oblectationem capere, in hoc, quod ævi mihi est reliquum, tecum agere, donec aspiret dies æternus, & inclinentur umbræ istius nostræ mortalitatis. Ah! quando erit illa dies, quâ non jam doloribus oppressus, sed ineffabilibus redundans lætitijs, non jam cooperatus opprobrijs, sed luce vestitus & gloriâ, dextrâ tuâ me amplexans introduces in cœlestes thalamos, genialibus gaudijs, & perenni quodam atque beato divini oris tui osculo fruituram! istic enim, uti de tua confido misericordia, in sinu patris tui, inter puras liquidâsq; delicias consummabuntur nuptialia fœdera, quæ nunc in luctu ac doloribus inimus inter brachia crucis.

Veruntamen ea, tua propriè curatio est, mi JESU; cujus amabili providentiæ, hoc quodcunq; est desiderij mei relinquo. Interim dum adhuc hic peregrina per fidem ambulo, & non per speciem, esto mihi vir dolorum, & sponsus

fus sanguinum; ut tecum & in te dolores amem, & sanguine tuo genas meas ac vultum exornem. Deniq; hæc una mihi sit hoc in exilio sollicitudo, ut qualem te in hac cruce, conspicio, talem me tibi exhibere contendam; ut, quoad libebit, amoris meo crucifixo ac vulnerato conformis effecta, sponsæ nomine reperiar non indigna.

P. I. c. 15.

Habes insuper in Stimulo divini amoris, istius Doctoris Seraphici ardentis affectus, quibus acerbissimâ & ignominiosam Christi passionem ambit sibi dari in sponsam, indissolubili nuptiarum vinculo jungendam. Sese enim illam amare ante omnes terræ cœliq; delicias, hanc totis visceribus concupiscere, absq; hac nolle vivere; hanc deniq; esse unicum solatium & desiderium animæ suæ, & plura his paria, quæ facile erit in præsentem transferre tractatum. Ejusdè operæ & rei est, Christum crucifixum in sponsum optare, & passionem ejus in sponsam dilectam assumere: cum neque JESUS crucifixus sine passione sit, neque passio Christi absq; Christo esse possit. Et utraq; istâ figurâ loquendi id ipsum adumbratur, quod contendimus: cum videlicet, qui Christum ardentem amaverit, & intima quadam ratione ei conjungi & copulari voluerit, unâ cum illo crucis ejus dolores atq; ignominiam amanter complecti, & sibi tanquam despondere, debere.

## CAPUT XIII.

*Cum corde JESU Crucifixi cor suum conjungere,  
aut commutare.*

§. I.

*Exercitatio proposita, autoritate & exemplis ad-  
struitur.*

EA

**E**st hoc etiam suave amoris circa Christum crucifixum exercitium; secundum id, quod fert vulgata paræmia, proprium hoc esse, inter se vehementer amantium, ut cor unum dicantur habere. Atq; inter causas finésve varios à Sanctis Patribus piè excogitados, quamobrem Redemptor noster lanceà militis sibi latus aperiri voluerit, sunt qui hunc etiam commententur; ut nimirum per hanc aperturam Divini lateris, pateret aditus ad cor ejus, liceretque nobis, mysticà quâdam ratione, cor nostrum cordi ejus conjugere, & quasi cor unum è pluribus cordibus efficere. Ita enim disertè, neq; uno loco S. Bonaventura. Quippe parte primâ Stimuli divini amoris de Christo pro nobis vulnerato, loquens: *Præ nimio amore (Inquit) aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor suum.* Ibidemq; ponderat, ut quiddam multum mirabile, quòd *apertio lateris cor cordi conjugat;* cor, inquam, crucifixum amantis, cordi ipsius Christi crucifixi. Et parte tertiâ; *Si bene passionem fueris meditatus, & multum intraveris in latus ejus, citò pervenies ad cor ejus. O felix cor (subdit) quod sic cordi Christi dulciter colligatur!* Ita etiam Ludovicus Blosius endologia quadam ad **JESUM**: *Volusti (ait) charissime mi, mellissimum cor tuum vulnerari propter me. Utinam cor meum lanceà amoris tui profundissimè p[er]s[on]e endol. saucies, illudq; sacratissimo cordi tuo unias, ita ut aliud non possim velle, quàm quod tu vis!* Quibus similia idem habet alibi: itémq; Thaulerus & Lanspergius in Pharetra divini Amoris.

P. 1. c. 1.

P. 3. c. 1.

Prec. adm:

prec. adm:

prec. adm:

prec. adm:

prec. adm:

prec. adm:

Denique nonnullis præsertim sanctis Virginibus, quas in hujus sermonis progressu commemorabimus, fertur id concessum esse divinitus, ut ad ineffabilis familiaritatis indicium, Christus cor suum illis traderet, & vel cor suum divinum cum earum corde commutaret, vel utrumq; cor resolutione mirabili in unum confleret ac confunderet. Quâ rem, si (ut plerumq; in talibus rebus usuvenit) symbolica duntaxat

Q9



duntaxat ratione, aut imaginariâ quadam repræsentatione illis contigisse dicamus; magnam quidem indicat divini amoris dulcedinem, & intimæ cujusdam familiaritatis prerogativam, sed nihil præ se fert, quod non facile possit intelligi. Si verò in eo rigore quem verba sonant accipiendum sit; ut nimirum Christus re ipsâ divinum cor suum, suis detractum visceribus alterius pectori indiderit, aut cum alieno sic commutârit, & ipsum cor Christi alienâ jam animâ viveret, & Christus vicissim cor illud, quod alterius fuerit, in sua receptum præcordia, divinâ suâ animâ vegetaret; hoc inquam per sese, & intellectu crediturq; difficile, & non modò cum physicis, sed etiam Theologicis rationibus parum consentiens videtur. Dispiciamus tamen id quale sit, & quantum ejusmodi narrationibus deferre, aut non absurdè concedere valeamus.

In primis igitur illud ponimus, quod à nobis modò infirmatum est, ejusmodi cordiû confociationes, commutationes, substitutiones, quas sæpè in vitis præsertim sanctarû feminarum legimus (quamdiu narrationis adjuncta aliud expressè non exigunt) non physicâ aliquâ ratione, sed per visum duntaxat aut speciem quandam imaginariam factas esse. Sic enim permulta tum SS. Prophetis, tum personis Christo specialiter dilectis contigisse scribuntur, quæ non nisi per formas sensibus objectas, aut impressas animo rerum species expertæ sint: quibus tamen in rebus nulla expropter fallacia, aut illusio mentis agnoscenda est; cum ad earum imaginum veritatem sufficiat id illis subesse, ad quod exprimendum ac demonstrandum repræsentantur. Quemadmodum in re proposita, ea cordium copulatio, aut inter Christum ejusq; sponsas mutua quasi commutatio, valere potest (ut dicebamus) sive ad eximiam divinæ charitatis vim, dulcèmq; Christi cum anima sibi dilecta consuetudinem ac familiaritatem significandam; sive ad summam in-

ter illos consensionem animorum ac voluntatum testandam aut conciliandam, sive demum ad alium quempiam singularis gratiæ effectum commonstrandum, si præsertim ad ista adijcias, quæ mox suggeram ad rei totius explanationem.

In quem sensum tum illud interpreter, quod de S. Gertrude, B. Magdalena de Pazzis, aliisque in eorum vita scriptum est; eas videlicet ipsum cor Christi loco sui cordis accepisse; tum id nominatim quod de B. Catharina Genuensi proditur: eam aliquando sibi visam esse, admoveri ad pectus Domini JESU, in eoque conspicere Crucifixi cor, rotum ignitum atque accensum: unde ipse mens eam dulcedine divini amoris liquefacta sit, & velut in ipsum dilectum suum resoluta, ut diceret: Jam animam meam & corde meo destituta sum; quia anima mea & cor meum, est ipsa anima, & cor dulcis Amoris mei, hoc est, Christi JESU, in quem illa prorsus immersa erat & transformata. Quæ quidem sic dixisse censenda est, propter eam quam dixi voluntatis suæ cum dilecti sui voluntate consensionem; sic ut per omnia idem ipsa vellet, idemque nollet, quod dilectus; atque ita idem cor, eandemque cum illo animam haberet. Nisi quis forte tam parum cordatus est, ut credat, sanctam illam viduam, non corde modo, sed propria etiam animam destitutam, naturam suam atque essentiam retinere potuisse, aut animam propriam absentiam, ab anima Christi suppletam esse.

*Insn. l. 2. c. 3.*

*Vit. B. Magdal. p. 2. c. 8*

*Vit. c. 2.*

*L. 2. c. 6.*

Quibus consentaneè Seraphinus Razzius in vita Venerabilis sororis Catharinæ Ricciæ; cum illum ejus raptum commemorasset, quo aliquando coram divinissimo Sacramento supplicans, sibi visa fuit rapi in Paradisum, ibique intercedente DEI Matre, sibi ab Christo JESU mutari atque innovari cor, quod pridem ab eo multis precibus contendebat; ut proinde ex eo jam diceret, cor suum non amplius cor Catharinæ, sed Beatæ Virginis appellandum; id deinde explicans ita subjungit: *Quod nos intelligimus per simili-*

Q 92

tu di-

tudinem; sive, quòd accepisset cor simile cordi B. Virginis per imitationem.

## §. 2.

Eorum, qua modo allata sunt, specialior quaedam explicatio.

At tamen ad hanc rem paulò luculentius explicandam, illud insuper addere possumus: dum Christus cor suum alicui sponsæ suæ specialiter contradere visus est, plerumque id non esse factum, sine aliqua operatione divina, secundum quam, etiam ratione quadam magis physica, dici posset illi immutatum cor, aut ipsum cor Christi ei singulariter donatum esse. Ad quod duo quædam video potuisse concurrere.

Primum enim id fieri potuit per insignem quandam virium animæ facultatumve immutationem; ita videlicet, ut intellectus atque voluntas hominis, ex specialium seu habituum seu auxiliorum impressione, induerint sensus atque affectus Christiformes, ut jam nihil sentirent, saperent, diligerentve, nisi quod Christus ipse sentiret, saperet, diligeret: quod est habere cor secundum cor Christi, & quodammodo cor suum cum Christi corde commutasse.

l. 1. vit. c. 5.

Atque huc pertinere videtur, quod de S. Virgine Lutgardæ, in hunc modum refert ipsius vitæ scriptor Thomas Cantipratanus: nimirum in quadam cum Christo (ut est incredibilis, divini sponsi cum suis dilectis familiaritas) velut amatoriâ allusione; cum Lutgardis dixisset, *Volò cor tuum Domine*; isque respondisset: *Quin ego potius & cor tuum*; tum verò subjunxisset Lutgardem: *Sit ita, Domine; sit tamen ut cordis tui amorem cordi meo attemperem, & in te cor meum possideam, omni tempore tuâ protectione securum. Facta est igitur* (subdit Cantipratanus) *ex eo die quaedam permixtio cordium, vel potius unio spiritus creati & increati per gratia excellentiam. Deinceps enim Christus ita cordi Virginis habit,*

hæsit, eam communiens, ac protegens, ut nec tentatio carnis, immò ne turpis quidem cogitatio mentem ejus vel temporis puncto infestaret.

Alterum; ut ad id accesserit, etiam humorum habitusq; corporis, & ipsius quoq; temperamenti cordis immutatio intima; & pro ingenita ad affectus humanos naturalesve cupiditates propensione, substituta sit quædam ad sensus motusve Christo crucifixo consentaneos, tanquam naturalis dispositio. Quo modo Magnus Antonius in quadam sua epistola, spiritum sanctum operantem in homine, *Ep. 1. tom. 4. Bibl. PP.* perfecto, etiam ejus corpus immutare asserit, ut jam sit omnino sub potestate spiritus; illius status, quem in resurrectione justorum accepturum est, quodammodo particeps effectum. Et S. Bonaventura agens de quadam ebrietate, *P. 3. sim. c. 6.* spiritali, ex divina in mentem irradiatione procedente, ait: *illam irradiationem tantum abundare in corde, ut etiam in membra corporis redundet, & illa faciat divina clementia arridere:* quæ quidem voce aptissimâ usus est, ad illud membrorum corporis cum intima DEI motione consensum, & quasi responsum significandum. Quod ipsum denique, sed aliâ phrasi, quodam loco expressit S. Catharina Senensis, *Orat. quad.* dicens: vi sanguinis Christi, & igne divinæ charitatis, ita subinde confortari & immutari hominis animum, ut etiam ipsa caro fragilis odorem virtutis sentiat, & corpus unâ cum anima in omni suo exercitio ad DEUM clamare atq; aspirare videatur.

Equidem ut in prægnantibus, aut certâ corporis ægritudine affectis, fieri videmus; ut propter humorum naturalium alterationem, omnino diversa appetant ab ijs, quæ antea solerent appetere: ita videtur divinitus usq; eò immutari posse corporis humani temperatio, ut exutis humanis vitiosisve propensionibus, ad res ac sensus morésve divinos jam quodammodo natum atque aptum sit; ipsumq;

COL

cor hominis ad divini cordis quasi attemperetur indolem, ad eaq; tanquam naturaliter propendeat, ad quæ Christus ipse in vita mortali propenderit. Quod in re ipsa quid est aliud, nisi jam cor Christi induere, aut cor humanum in cor divinum transmutare?

Atq; huic nostræ cogitationi, licet ex ipsa Scriptura phrasi, lucis nonnihil adjungere: nam quemadmodum Sauli, continuo atq; in regem à Samuele unctus est (ut divino Spiritui loqui visum est) *immutavit DEUS cor aliud*; Spiritum nimirum principalem pro rusticis incultisq; moribus, & pro asinas pascendi conquirendive studio, cogitationes ei rege dignas inspirando: è diverso autem Nabuchodonosori regi, ad deprimendos superbos ejus spiritus, divino iudicio *cor ab humano commutatum est, & cor fera datum est ei*; DEO ejus mentem ac phantasiam, immò (ut est prolixius verosimile) ipsam corporis ac cordis temperationem sic immutante, ut (quoad liceret, salvâ humanæ naturæ substantiâ) quidquid hominis esset exuens, belluinos sensus atq; affectus acciperet, ipsâ jam indolis ac naturæ similitudine, ad ferarum partem ac societatem abjectus: Ad eundem modum dici potest dulcis Salvator quodam amoris privilegio, quibusdam sponsis suis divinum cor suum tradere, aut cor cum illis commutare; cum scilicet earum cordibus sua sententia ac mores imprimat, ipsûmq; etiam earum corpus occultâ ratione ad hæc ipsa disponit atq; afficit, ut veluti corde jam immutato, non ampliùs sapiant quæ hominis sunt, sed quæ Christi JESU; in quem etiam sese veluti transformatus esse sentiant, eadem ament, iisdem delectentur; tamq; sit eis difficile, ab ijs quæ DEI & Christi sunt abstrahi, quàm ægrè avellitur animalis homo ab innata eorum quæ sensus mulcent atq; oblectant, cupiditate. Atq; de eo qui in hunc modum affectus sit, phrasim Scripturæ secuti meritò dicemus: *Cor ejus ab humano commutatum est, & cor divinum datum est ei.* Qv

Quo in genere libens admifero, singulare quidam ac præ cæteris eximium, illi in paucis dilectæ Christi sponsæ Sanctæ Catharinæ Senensi, à Sponso suo concessum fuisse. Ut enim testatur Beatus Raymundus in ejus vita: *Vit. c. 47. a. cum ea Dominum aliquando precaretur, ut ab ea auferret cor proprium, omnemq; propriam voluntatem; visus est Christus latus ejus sinistrum aperire, & ita cor ejus auferre, postq; aliquot dies in idem latus cor aliud splendens inferre, dicens: En filia mea charissima, habes cor meum pro corde tuo:* atque ita latus ejus oclusit, eodem in loco conspicuâ cicatrice permanente, quam Virginis Sodales sese vidisse sæpe testatæ sunt: ne id phantasma tantùm aut visum symbolicum existimaretur fuisse.

Dicamus igitur, etiam physicâ quadam ratione immutatum ei & substitutum cor aliud, quod exinde cor Christi proprium cæteri & appellari posset, sive propter illam quâ modò indicavimus, intimæ naturæ cordis illius ad Christi sensus & Crucifixi mores conformationem aut contemperationem, & quandam quasi communionem earum qualitatum, quibus divinum cor ipsius Christi præditum est; sive quo alio diviniore modo, nobis ignoto & incogitato, eadem immutatio contigerit. Quippe cum talium inexpertis fatendum sit, divini amoris ac bonitatis artes, quibus sibi dilectas animas extra ordinem complecti, aut sibi devincere consueverit, absconditas nobis & incomptas esse.

## §. 3.

*Opportuna in rem presentem animadversio.*

**N**equè quemquam hoc loco moveat, quod pleraq; istius generis, faminis obvenisse memorentur; sexui (ut ajunt) ea in parte nimis credulo, & cerebri sui phantasmatis atque illusionibus obnoxio.

Nara

Nam neque hic ego quæcunq; visa obtrudi velim, aut facile recipi, nisi quibus ipsa externorum signorum evidentia, aut aliunde perspecta personæ sanctitas, & cœlestis quædam ac divinitus indita sapientia, fidem merito conciliant: cum & alioqui divinus spiritus ubi vult spiret, ejusq; bonitas sua dona det cui voluerit. Et in alijs certè divinæ familiaritatis indicijs, quæ vel sensu tangi, aut manu etiam palpari possunt, puta insculptis cordi, aut corpori impressis, passionis Christi sacris stigmatibus, cum virum unicum fortassis habeamus, sed præ cæteris illustri ac singulari ratione ijs divinis notis insignitum, proferri possunt. ex altero sexu plusculæ, quas satis constet eâ favoris prærogativâ, amorive pignore, à sponso suo esse donatas. Sive hæc dicamus infirmitati sexûs indulgeri, ut istis veluti blanditijs teneantur, ne quâ levitate ad humanos sensus, & terrena oblectamenta defluant: sive Christum delectat specialiter, animarum illarum, ubi semel se totas ejus amori tradiderint, in eo cupidis ingenuisq; affectibus complectendo teneritas; aut illa magis puritas mentis, quâ liberæ curis exterioribus, etque actionum varietate (per quas dum etiam divinæ gloriæ studio, sanctorum virorum plerumq; vita distenditur, *necesse est*, inquit Leo Magnus, *de mundano pulvere etiam religiosâ corda sordescere;*) eòq; plurium leviorum nozarum immunes, uniq; intus intentæ sponso, habiliores suat ad intimam cum eo consuetudinem, & ad capessenda rariora quædam divini amoris pignora comparatioris: sive is denique cœlestis sponsus, dilectæ parentis honori studens, eo pacto amat maternum sexum augere atq; honestare: sive quæ alia subesse debet, incomperta nobis & magis recondita ratio. Nam ejusce rei præclaras quasdam rationes, quas nihil opus sit omnes referri, à B. Petro de Alcantara sibi datas, testatur S. Terefia in vita sua.

cap: 40.

Verumtamen hoc loco & iste mihi sexus admonendus est:

est; ne si quas donis ejusmodi, ab sponso suo extra ordinem affici, & tanquam palpari contigerit, in eo fortassis nimum se ament, sibiq; ipsa blandiri occipiant, quasi jam ceteris sanctiores sint, & solidæ virtutis vitæq; perfectæ ratione, Deo acceptiores.

Ut enim hic jam non exequar, quàm eximijs de cœlo prærogativis, divinis charismatis, stupendisq; ac prodigiosis operibus, melior, hoc est virilis sexus, præ illo molliore, cumlatus sit; neq; illud occinere insistant, quæ blandimentis ejusmodi & arcana quadam Sponsi cœlestis consuetudine dignantur, eas oportere, tum exinde in se submissiores existere, tum salutis suæ futuri exitus metuentiores, ne fortè, quod multis contigit, illusioni ac fraudi pateant, eaq; propter majori versentur in periculo, quàm si in negotio spiritus viâ planâ tutâq; graderentur: his inquam omis-  
sis, memorare sufficit in præsentia; in his DEI donis, quantumvis rata & excelsa sint, veram animi sanctitatem non consistere, neq; ejus effectus aut indicia indubitata esse; cum, velut in principio Operis cum alijs observavimus, ad complexum (quem appellant) mysticum, aut intimam, atq; perfectam contemplationem, quæ utique pluris quàm externa illa benevolentia signa facienda est, quandoq; contingat vocari animas, nondum perfectas. Nimirum vera vitæ sanctitas, amore puro, forti, robusto metienda atque æstimanda est; quo quia persæpe magis abundant viri illi sancti, qui magnis laboribus pro DEI gloria exerciti, quietem suam gustumve spiritualem, animarum salutem posthabent, parati fortassis etiam cum Paulo ac Moyse anathema esse à Christo pro fratribus; qui ejusmodi sunt, tametsi nonnullo aspergantur mundano pulvere, & illis careant divina familiaritatis argumentis, neq; insolitas quasdam & dulces (ut loquitur S. Bernardus) affectiunculas experiantur, erunt scilicet & sanctiores apud DEUM, & Christo ac-  
*de nat. divi-  
ni am. c. 4.*

Rr

cepti-



ceptiores existimandi. Quò illa pertinet præclara, atq; (ut fertur) Antonia Romanæ, notæ quondam sanctitatis viduæ, divinitus insinuata cogitatio.

Quemadmodum in Principum domibus catelli quidam sunt mollicelli ac delicati, qui teneritudinis ac lepidioris formæ gratiâ habentur præsertim in delicijs, & ad mensam herilem adhibiti, cibis præcipuis & delicatioribus nutriuntur; & rursus sunt acres molossi, villosâ horridâque specie, qui cum & ferinam dominicæ mensæ suggerant, & lupos ursosve conficiant, tamen ubi venatu fessi, cursuque ac fame propè confecti, lutovæ ac cæno oppleti, domum redierint, furfuracei panis frusto donati, rusticanam in aream, aut in antrum aliquod ablegantur: qui etsi hoc pacto videntur haberi neglectui, non ideo tamen Domino suo minus cari sint; quin, si ea instet necessitas, malit omni illâ catellorum turbâ carere, quàm horridum illum validumque molossum amittere. Eundem in modum præfatæ viduæ agebat Christus, ita referente nostro Nicolao Lancicio:

*De arid. in orat. c. 5.*

*Se operarijs suis conversioni animarum deditis non prabere ut in oratione gustus & consolationes, uti dat quibusdam famini; & licet illos tanquam canes venaticos (qui capiendo urfos & apros, id est, peccatores convertendo, veniunt quandoq; pedibus luto infellis) non admittat ad oscula, sicut admittit parvulos catellos, pulchros & otiosos; tamen pluri facit illos Dominus, quàm istas mulierculas, quibus se magis in oratione extraordinaria communicat, per spirituales gustus, & veluti quidam complexus. Sic ibi.*

*A. 3. c. 69.*

Et simile quiddam sese ex Christo cognovisse testatur S. Gertrudis. legenturq; eam in rem utiliter, quæ sapienter scribit Doctor Seraphicus parte 3. stimuli c. 8. & 9. Et S. Bernardus sermone 12. in Cantica sub finem.

## §. 4.

*Istius exercitationis ratio ac fructus precipuus.*

Sed quidquid de his sit extraordinarijs, ac paucis omninò concessis Sponsi cœlestis muneribus ac privilegijs; enitendum nobis est, ut per voluntatum, desideriorum, morumq; similitudinem, spiritualem quandam cordis nostri cum corde JESU crucifixi copulationem atque unitatem assequamur. Nam cum in unoquoq; animali cor sit fons vitæ ac principium, fieri non potest, ut vivamus Crucifixi vitam, nisi cor habeamus Crucifixi. Atq; eò tendit ratio præsentis exercitij; quod tria potissimum à nobis requirere videtur.

*Primum:* ut per intimam cum Christo crucifixo familiaritatem, subeamus frequenter in latus ejus, & inde succedamus in cor, & ipsum non tam ferro militis (tametsi & illo transfixum fuisse dicendum est) quàm amoris telo convulneratum atque apertum. Hoc est: ut per crebram attentamq; plagarum ac dolorum Christi contemplationem, pervadamus tandem sensus ejus intimos, & illum præsertim penetremus amoris excessum, quo tam acerba, tamq; indigna, nostrâ causâ subire compulsus est.

*Alterum:* ut cum animis nostris considerantes attentius, illius divini cordis charitatis ardorem, studium immensum paternæ gloriæ, & inexplebilem, ejusdem gratiâ proq; salute nostra, quoscunque cruciatus ac mortes perpetiendi cupiditatem; & cum ejus divinis affectibus, cordis nostri frigus, stuporem, vecordiam, atque ad omnia his contraria, quæ Salvator noster tam ardentem amavit atque amplexus est, proclivitatem componentes, erubescamus & confundamur animo, quòd tam dissimiles inveniamur Salvatori nostro, atq; à divinis illius sensibus tam longè etiam absumus: proindeq; omnes affectus & actus nostros, omnia

R. 2

opera

Instit: Spi-  
rit. c. 9.  
Spec: spirit:  
c. 7.

opera, & exercitia nostra (ex Blosiano post S. Gertrudem monito) ipsi divino cordi Domini JESU emendanda ac perfectienda, cum magna animi devotione, commendemus.

*Postremum:* ut Salvatoris exemplo ac disciplina informati, incensiq; eum propius imitandi desiderio, per assiduum mortificationis studium, & perfectam voluntatis nostrae amorisq; proprii in rebus omnibus abnegationem, aspiremus sensim ad unitatem illam divini cordis. Hoc est, ut per omnia Christo crucifixo consentientes, eadem cum illo sapiamus atq; gustemus, in iisdem solatium nostrum, voluptatem, gaudium, gloriam, felicitatem consistere habeamus: atque in hunc modum veluti nobis ipsis mortui, non nostro sensu, sed Christi solius in nobis viventis corde, spiritu, impulsu agitemur. Ex quo denique fiat, ut juxta quod ait Apostolus: *Pax Christi exulet, & regnet in cordibus nostris; & mens nostra repleatur jubilo, cum absorpta fuerit in DEUM, & unum effecta cum Christo.*

Col. 3.

P. 1. sim. c.  
18.

Sed delectat super his audire sensum ardentis illius Seraphini S. Bonaventurae; qui exultans in DEO suo crucifixo, eiq; se totum dedicans, & vestigia passionis ejus ubiq; sectari desiderans, hac deniq; ad JESUM suspiratione exponit affectus cordis sui, & vota sua desideriaq; concludit: *Omnia (inquit) abiciens, totus in te sitiens, nihil prater te sentiens, resolvar in te, & in te centraliter quiescam. Abscedat vanitas, accedat divinitas, transformet charitas, & sim totus divinus. Aperiat cor meum, aperiantur vulnera, jungantur intima, & sim unum cum Christo. Amen.* Quod item faciunt quae ibi praemisera, ad eandem sui in ipsum Christum resolutionem anhelans: *Aperias cor meum, bone JESU, ad tua vulnera; & quantum me diligas recognoscam: ut sic ebrius tuo sanguine, totus in te resolvar amore. Intret dolor tuus in intima mea, & expellat omnem amorem meum alienum. Sim tecum crucifixus mundo; ut sim mortuus, & vita mea abscondi-*

ta sit solum tecum in DEO. De qua re nos plura in sequentibus, nominatim autem parte ultimâ, cum de plena hominis in JESUM crucifixum transformatione disputabimus.

Addo interim & illam huc pertinentem Joannis Lanspergij ad JESUM aspirationem: *Fac ut uniatur cor meum* Phar: dñs. am: l. 1. p. 5. *suavissimo cordi tuo, voluntas mea voluntati tua, ut nunquam alia velim, nunquam aliter velle possim, quam tu vis, & tibi placeat. Et postea: Attrahere cor meum per preciosissimum vulnus lateris tui, ad amantissimum cordis tui arcanum, ut cor meum cum sanctissimo corde tuo, indissolubili dilectionis vinculo uniatum, atq; in te absorbeat, quatenus tu in me, & ego in te habitem. Sic ille.*

## CAPVT XIV.

*Quidquid agimus patimurve, Christi operibus aut doloribus conjungere, eaq; conjunctione consecratum aeterno Patri offerre.*

### §. I.

*Istius Exercitationis usus ac fructus commendatur.*

**E**xercitium hoc, quod superiori conjungimus, propter nonnullam affinitatem, quanquam usu facile, & leve videtur in speciem; tamen animæ Christo dilecto suo placere cupienti, & in ejus amore magis ac magis in dies crescere volenti, debet esse commendatissimum.

*Primò: quia Scriptores Ascetici, dum præcepta tradunt vitæ spiritualis, in cæteris hanc artem commendant plurimum; ut nempe consuescat asceta, tam ea quæ agit, quam quæ patitur, Deo offerre in unione (ut ajunt) operum ac passionis Christi: ut videre est in plerisq; tum antiquis, tum recentioribus; & nominatim in Ludovico Blosio, qui*

cum

sùm alibi passim id genus exercitij commendat in suis operibus, tum in sua Institutione spiritali de eo agit ex professo: ubi etiam non dubitat asserere: *opera ejus qui istud p̄ observat, excellere incomparabiliter opera ejus qui non observat.* Pro eadem arte SS. Ambrosij, Bernardi & Bonaventuræ, testimonia in decursu citabimus.

*Secundò*: quòd multis Sanctorum atq; Sanctarum, & ijs præsertim, qui intimam aliquam cum Christo consuetudinem habuerunt, exercitationem hanc sciamus fuisse familiarissimam. Immò ipse Salvator (uti scriptis suis consignatum reliquerunt S. Mechtildis atque Gertrudis) istius artis perpetuò usurpandæ eis non semel autor fuerit. Sic enim futurum, ut Christi merita peculiariter sua facerent, suorumq; operum defectus ditissimâ Christi conversatione supplerent. Rursúmq; hâc ipsâ ratione, ipsarum preces, vota, desideria, Christi Domini precibus, votis, desiderijs conjuncta, ascensura in conspectu Dei, instar virgulæ fumi ex diversis commixtis aromatibus, quorum nempe fumus in unum collectus, eâdem quasi lineâ ac ductu cælum petens, jucundissimâ utique & divinis sensibus acceptissimâ vaporacione.

Quò denique pertinet & visum illud amabile S. Gertrudi oblatum: cùm videlicet S. Joannes Evangelista, notarij instar ad Christi pedes in gloriæ throno sedentis confidens, & opera bona, quæ quodam tempore ab ea religiosa congregatione fiebant (cujus pars erant duæ memoratæ sanctæ Virgines) in membranas & acta referens, visus est eorum pleraque, calamo in roseum Christi latus intincto, miniatis notis pingere, atque horum quædam colore nigro, quædam aureo interstinguere. Cujus visi hæc fuit interpretatio: Ea quidem opera tanquam colore de Christi latere sumpto pingi, quæcunque fierent in Dominicæ passionis memoriam, eadémq; variè distingui ac illuminari, pro  
 varia

L. 3. grat.  
 spir. c. 12.  
 L. 4. in fin.  
 c. 16.

varia finium, ob quos illa fierent, conditione; demum ea proprie auro depingi, quæ Christi passioni incorporata offerrentur purè ad gloriam DEI.

*Tertiò*: quia, ut testatur Blofius, & ipsa demonstrabit *Can. 64. f. i. experientia, multiplicem sanè utilitatem, & ingentem plau- rit. c. 11.* ne fructum ex ea consuetudine referemus.

Primum: quòd opera & passiones nostræ, ex ea ad Christi opera & passiones adjunctione, veluti ex quodam rei divinius attractu, sanctitatem quandam ac dignitatem accipiant; ratione cujus ipsi DEO sint acceptissima, eòq; vitæ permagnam habeant ad ejus gratiam ac dona divina promovenda. *Ineffabilem namq; dignitatem (ait laudatus Læti- Infit. spir. c. enis Abbas) ex meritis (Christi, quibus unientur, accipient: sicut aque gutta in vas aliquod vino plenum immissa, tota à vino absorbetur, & exinde vini colorem saporèmq; recipit. Aut (ut S. Gertrudi divinitus insinuatum est) sicut viride apparet, L. 3. c. 30. quidquid per viride videtur: ita per omnia acceptissimum est DEO Patri, quidquid per unigenitum suum offertur.*

Deinde: quòd ipsa Christi patientis infinita dignitas, exercitijs nostris eo pacto adjuncta, quidquid in his ex nostra infirmitate imperfectum aut impoliticum est, quodammodo emendet ac suppleat; eaq; ita convestiat, ut jam honestius coram DEO appareant, tanquam pretiosâ meritorum Christi veste ornata, & de purpura sanguinis ipsius, velut roseo quodam rubore illuminata. Sed hoc jam eòdem penè recidit cum præcedenti.

Rursum; quòd hæc ipsa in quotidianis exercitijs nostris obeundis adhibita cogitatio, ad majorem quandam in ijs perficiendis sollicitudinem, studium, accuratationem nos extimulet; dum pudor est scilicet, tam vilia, inculta, indigna cum divinis Christi operibus conjungere, & horum summam nobilitatem atq; excellentiam, eâ vitiosorum impurorumq; actuum quasi commixtione, contaminare.

Ad

Ad hæc; istud quoq; hæc efficiet exercitatio: ut dum in nostris perficiendis operibus, ad similia Christi opera attendimus animum, sensim assuefcamus opera nostra universa, ad eandem formam ac rationem, quâ Christus ea fecit, exigere; ejusq; divino spiritu, quidquid agimus patimur, ut nobili sigillo insignire. Secundum quod B. Mechilid.

*L. r. c. r.* aliquando visus est Christus, oculos ejus obfignare suis oculis, aures auribus, manibus manus, &c. ne quid illa deinceps nisi ex ejus divino spiritu, videret, audiret, operaretur. Eodemq; spectant & illa S. Ambrosij, super istis Cantici verbis: *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in*

*Cant. 8.* *De Isaac. & brachium tuum;* ita pulchrè scribentis: *Signaculum Christi in fronte est, signaculum in corde. In fronte, ut semper confiteamur: in corde, ut semper diligamus. Signaculum in brachio, ut semper operemur.* Quo denique fiat, ut toto

quali Christo signemur, per perfectam quandam in nostris operibus vitæ ac mortis JESU Christi imitationem, & operum nostrorum cum ipsius operibus intimam conjunctionem & unitatem. Istam quippe similitudinem impressionemve divinæ imaginis, potissimum ex Christo crucifixo tendendam esse, idem S. Doctor alibi exprimit, dicens: *Infige ergo pectori & cordi tuo hoc signaculum Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint:* mortificationem scilicet Domini JESU, ut antè insinuârat, semper in corpore nostro portando.

*Serm. 15. in Pf. 118.*

Ex quo ad extremum, istud etiam operæ præmium consequetur asceta; ut opera sua cum magna quadam perfectione atque absoluteione exigens, in iisq; vim divinæ gratiæ & Christi spiritum, ex quo illa procedant, & quo ipsa animentur, manifestè recognoscens, non tam illa ut sua opera, quàm ut Christi in se viventis aspiciat; quasi jam non ipse, sed Christus sit, qui videat per ejus oculos, loquatur per os, per manus operetur. In quo summa hominis Christiani perfectio,

fectio, & quædam veluti in Christum transmutatio cernitur.

Jam vides, mi Lector, ex quàm pusillis & tenuibus initijs (si modò quis sedulus ac solers esse studuerit) ad quantã denique quàmque; excelsam Christianæ virtutis absolutionem perveniri possit? Quàmque; meritò Ascetici Doctores momenti plurimum ea in re situm existiment, ad magnum animæ in vita spirituali & Christianâ perfectione profectum. Sed jam more nostro, facilioris usus gratiã, exercitij hujus vim omnem certis capitibus præceptionibusque; concludamus.

## §. 2.

*Suggeruntur varia monita, ad usus præsentis non parum conducibilia.*

EX dictis hæctenus, & his quæ dispersè suggerit Latiensis Abbas, licebit artem hanc ad pauca præcepta, & istam quasi formam redigere.

*Primum:* Id enitere sedulo, eoque; assuefac animum tuum, ut priusquam operis quidquam faciendum suscipias, continuo mente in Deum directã atque intentã, ipsos actus tuos illi offeras, ad ejus honorem, æternamque; laudem ac gloriam, & in unione perfectissimorum operum ac meritorum Filij sui. Hæc oblatio (ut quodam loco advertit *Blo-* Can. vit. spir. c. 11. *sius*) etiam in momento absque verbis fieri poterit, nempe simplici dulciq; mentis in Deum intentione. Si quis tamen ad id certam verborum formulam desideret, inveniet aliquos apud ipsum in locis à nobis laudatis.

Qui insuper & id probè admonet: utile fore in rem præsentem, non in hac duntaxat generali oblatione resistere; sed si quas Salvator actiones his nostris similes in vita exercuerit, illis speciatim opera nostra conjugere. Ut si v. g. corporis refectioem aut somnum capturus es, id to-



tum offeras in unione illius suavissimæ pietatis, & charitatis inestimabilis, quæ ille pro te factus homo, refectioem aut somnum corporalem cepit in terris. Et ita de precibus, jejunijs, lacrymis, laboribus, sermonibus, ac reliquis hujusmodi. Ita enim fiet, ut super pretium ac dignitatem, quam opera tua, ex illa ad Christi merita adjunctione accipient, eadem insuper nobiliori spiritu, & majori etiam perfectione labores; in absolutissimum exemplar humanæ vitæ, hoc est, D E U M-hominem, ejusq; mores atque opera, semper intuendo.

*Alterum:* Posteaquàm boni operis aliquid cum Dei gratia perfeceris, ad illud rursus advertens animum, illud repræsenta æterno Patri, in unione dulcissimi illius amoris, quo Filius ejus pro nobis nasci, pati ac mori voluit; suppliciter postulans, ut intuitu meritorum ejus, operis defectum atque negligentiam benignus emendet ac suppleat. Aucertè jam illud offer ipsi Unigenito, & quidquid in eo peccatum aut neglectum est, suavissimo illius cordi, uti jam capite superiori insinuavimus, emendandum perficiendumque amantissimè committe.

*Tertium:* Quod de nostris actibus, divinis Christi operibus consociandis diximus, id etiam magis faciendum intelliges de molestijs, ærumnis, vexationibus, afflictionibus nostris; quæ, mox ut occurrunt, sacratissimæ Christi passioni ac doloribus conjungendæ sunt: quò iridem ex horum sanctitate, aliquod illis pretium, decus, claritas concilietur; nobisq; exinde non mediocri accedat in malorum nostrorum patientia solatium, cum animis nostris opportunè reputantibus, ipsum etiam Redemptorem nostrum tentatum fuisse per omnia, nosq; illum in pœnis nostris socium habere atque consortem. Quà arte solari mala sua inter alios didicerat S. Pachomius; qui (ut in ejus vita proditur) cùm recens etiam à suscepta disciplina monastica, intel-

Vit. c. 12.

inter vepres ligna colligens, pedes suos frequenter cruentaret, sustinebat lætus, memor clavorum, quibus confixæ fuissent manus & pedes Domini sui. Quam considerationem alibi diffusius explicabimus: sicut & illud, quod hic obiter indicasse sufficiet; videlicet, si quid in fama, honore, corpore patimur, id enimverò æquum esse referri specialiter ad instaurandam ipsius Christi JESU pro nobis percussis & humiliati gloriam; atque ad nonnullam satisfactionem compensationemve eorum, quæ nostrâ causâ eodē in genere dulcis Redemptor, atrociora multò atq; acerbiora, perpessus est.

*Quartum:* in aliquo spirituali otio ante Dominum tuum constitutus, & in conspectu illius majestatis, interioris tui hominis miserias agnoscens, egestatem, meritum inopiam; fiduciam omnem colloca in meritis Unigeniti, eaq; in horum, quæ tibi desunt, supplementum, DEO Patri offerre, & sanctâ quadam amoris ingenui confidentiâ, tuâ quodammodo illa efficere contende. Qua in arte præeuntem habes S. Bernardum, qui (ut ex ipso antea retuli) ab in-

*serm. 43. in  
Cant.*

*serm. 61. in  
Cant.*

*Man. c. 21.  
Spec. spirit.  
c. 7.*

lationis (subdit) dignitas & prestantia homini prorsus incomprehensibilis est. Atque eum usum ex S. Gertrude didicimus quæ tum alijs locis, tum præcipuè l. 2. cap: 23. suarum diuinarum Insinuationum, pro omnibus negligentijs suis amanter offert æterno Patri passionem Unigeniti, ab illa hora qua in præsepio super focum reclinatus, vagitum dedit usque ad momentum, quo in cruce pendens inclinato capite spiritum emisit. Cujusmodi oblationis formulam habet apud ipsum Blossium, in Preculis admodum pijs, contractam quidem ac brevem initio, diffusam autem in sequentibus, endologiâ ad JESUM 15. & alibi. Qui alio loco etiam ad-

*In fine En-*  
*chir.*  
*Apoc. 3.*

monet, eundem in finem offerendum Patri sacrificium, cor Unigeniti: perinde atque si illud ex Apocalypsi suadet, ut de corde Christi, ardente fornace nobilissimæ charitatis, aurum petas ignitum probatum, quo locuples fias; & vicia ejus innocentissimæ meritis, & veste candidâ te obvolvas; ut non appareat confusio nuditatis tuæ. Quod itidem sibi usurpans S. Bonaventura, contendit (ut ipse loquitur) opprobriosissimam Christi passionem induere tanquam vestimentum regale: nihil enim sibi de cætero metuendum esse, si fuerit eâ veste indutus; hoc est, si merita passionis Christi, ex ea formula quam hîc tradimus, sibi incorporarit, & quodammodo sua fecerit.

*P. 1. stim. c.*  
*7. in fine.*

*Postremum:* Ad pleniorum operum tuorum sanctitatem, ac consecrationem, subinde à Christo crucifixo ingenue amantèrque flagita, ut sensus tuos & actus omnes divino suo spiritu obsignare, universisq; animæ tuæ viribus uti ipse ad gloriam suam, & tanquam per eas in te operari dignetur.

*Instit. spir.*  
*6. 11.*

Ad quod illa conducet aspiratio Blossiana: *Eja suavissime JESU: credo te esse in me secundum ipsam divinitatem tuam. Digneris igitur per oculos meos aspicere, per aures meas audire, per linguam meam loqui, & per cætera membra mea operari quod tibi placitum est.* Eosdèmq; sensus induerat B. Maria Magda-

Magda-

Magdalena de Pazzis, dum in raptu quodam exclamabat ad Christum crucifixum: *Abconde me in vulneribus humanitatis* P. 2. bit. c. 4. tua. Et deinde: *Oculi mei maneant in oculis misericordiae tuae; aures meae in auribus tuis, ut intelligant & comprehendant vocem sponsi mei; os meum in ore tuo, ut os meum loquatur, quod mecum sponsus loquitur.* Pergitq; deinceps idem exequi, tum de membris alijs, tum etiam de universis animae suae viribus, memoria, intellectu, voluntate, quae omnia cupit conjungi exterioribus & interioribus facultatibus sponsi sui, ut in omnibus ipsa cum illo, aut ipse per illam operetur. Cujus utique status securitatem felicitatemque commendans S. Ambrosius: *Quomodo (inquit) potest non in aeternum vivere, quem sempiterna vita suscepit, quem totum sibi Christus assumpsit, qui totus Verbi est, cujus vita abscondita est in Christo JESU?* serm. 15. in Pf. 118.

Sed de his satis. Nam amantes quidem, affectu duce, usq; comite, his plura facile reperient: non amantibus autem, etiam haec erunt nimis multa.

## CAPUT XV.

*In Christi Domini vulneribus assidue ac libenter habitare.*

### §. I.

*Ejus mysticae habitationis ratio proponitur atque exponitur.*

**F**requens est apud Scriptores Asceticos, & passim obvium illud praecipuum: animae Christum amanti, & ad spiritualis vitae perfectionem aspiranti, enitendum esse studiosius, ut in sacris Crucifixi vulneribus assidue habitet, & repudiatis caeteris, quae foris sunt, in sacris illis foraminibus,

nibus, adeoq; in ipso Christi pectore, ut in Templo quodam Pacis aeternae, secunda conqueſcat.

*Instit. spir.*  
c. 6.

Ludovicus Bloſius in Institutione ſpirituali & alibi ſepè Aſcetam admonet, ut in cruce ſeu crucifixâ Chriſti Imaginem nidulum ſibi collocaſſet, & in mellifluis vulneribus ejusdem benigniſſimi JESU commoretur & requieſcat.

*Farrag. util.*  
*instit. 5. 7.*

Joannes Ruſbrochius apud eundem: *Contemplare, quaſo, cum affectu vulnera, quae Dominus JESUS pro te ex amore ſuſcepit: atq; hic paſceris & reficeris. In patulo latere ejus, unde omnes gratiarum promanant rivus, commorare, ut in amantiſſimo corde illius vivas, in quo eſt Sancti Spiritus, & aeternae charitatis plenitudo.*

*l. 2. de imit.*  
6. 1.

Thomas à Kempis: *Requieſce in paſſione Chriſti, & in ſacris ejus vulneribus libenter habitâ.*

*Ep: III.*

Sancta iterum Catharina Senenſis, Directori ſuae conſcientiae B. Raymundo ſcribens, eundem hortatur, ut in Chriſti plagis ſibi conſtituat habitationem. Et ſic paſſim alij: nec ſine fundamento in dictis Patrum, ut videbimus.

*P. 1. ſtim. c.*  
2.

Præſertim autem, ut jam vidisti, commorandum eſſent pio aſcetae in plaga lateris, in intimis Chriſti viſceribus, in ipſo corde divino, amore noſtri vulnerato atq; tranſfixo. Quocirca etiam S. Bonaventura admirandam illam contemplans tranſfigurationem, non quâ in monte Thabor apparuit Jeſus ut Rex gloriae, ſed quâ in monte Calvariae detortus eſt in virum dolorum; amore ardens atq; liqueſcens, nec volens à Chriſto crucifixo vel punctum temporis ſeparari, exclamat & ipſe, non tamen neſciens quid diceret: *Bonum eſt cum Chriſto eſſe. Et in ipſo volo tria tabernacula ſecere, unum in manibus, unum in pedibus, & aliud continuatim in latere, ubi volo quieſcere, dormire, vigilare, bibere, comedere, legere, adonire, & omnia mea negotia pertractare. Mi loquar ad cor ejus; & ab ipſo quod voluero impetrabo. Ita ille; utique habitationem ſibi in Chriſti latere ac corde præferam deligens; in eoq; uno & cubiculum ſibi, & cenaculum, & mu-*

& musœum, & sacellum, & reliquas, quæ in nobili aliquo domicilio optari possunt opportunitates, inveniens. Sed de cordis Christi cõmodissimâ habitatione, plura nos inferiùs.

Rursum autem idem Bonaventura alio in loco de ijsdem Christi stigmatibus seu vulneribus agens: *Ubiq;* (in *P. 1. sim. 6.* quit) *& semper habitabo in illis; ut sim quasi in castro securus 7. ab omni impulsu maligno.* Imitatus fortè S. Augustinum, cuius ista leguntur in Manuali c. 21 *Tum & firma requies, est infirmis & peccatoribus in vulneribus Salvatoris. securus illic habitò.* Et cap. 23. *Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus.* Ita ibi.

Illud autem hoc in genere speciale est, quod pluribus tradit Andreas Alberti è Societate nostra, de Paula Maria. *In Theopist. l. 2. c. 7.* à Jesu Carmelitanâ exalceatâ: eam videlicet aliquando quinq; ipsos annos in Christi plagis sic habitâsse, ut in earum singulis ad annum unum domicilium sibi deligeret, ad eosq; ingressus se compararet, perinde atque si de novo Monasterium ingrederetur.

Quod si hîc ex me quæseris, quidnam illud sit, quod appellamus in Christi vulneribus habitare; nonnulla subiungo, ex quibus id possit aliquatenus intelligi.

Primum enim ille in vulneribus Salvatoris habitat; qui de ijs assiduè recogitat, qui mentem in ijs defixam tenet, nusquam interruptâ contemplatione. Nam veluti si quis alterius vultum observet & contempletur assiduè; redè, etiam Tullianâ phrasi, dicuntur istius oculi habitare in vultu alterius: aut, quemadmodum Scripturæ verbo, *is habitat in adjutorio Altissimi*, cuius oculi conversi & intenti sunt ad Dominum, ut sibi auxilio sit: sic illum dicimus habitare in plagis Christi, qui nunquam ab eis cogitatione divertat, sed in ijs mente animoq; semper versetur. *Idcirco serm. 61. in denique audit* (inquit S. Bernardus) *Columba mea in foraminibus*

nibus petra: quod in Christi vulneribus tota devotione versatur, & jugi meditatione moretur in illis.

Rursum: quando ea est ardentioris amoris vis, ut amantis animum suo quodammodo divellat à corpore, atque in dilectum transferat, atque constituat; eam nos animam dicemus habitare in Christi vulneribus, quæ solius Jesu crucifixi desiderio & amore langueat, eum solum exquirat, huic uni probare sese, ei se conformare studeat; in hoc uno denique, velut in votorum suorum centro conquiescat, summet oblita, cæterorum etiam (præterquam Christi vulnerum) incuriosa.

Denique, cum eos, qui in aliquo loco, non ut peregrini & advenæ ad tempus commorantur, sed velut cives perpetuò habitant, consuetarium sit oportere loci legibus vivere, loci moribus, vestitu, linguâ uti; eoque confessum, ut peregrinus dignosci solet, si quis non loci instituta, sed externos mores sectetur, si cultu utatur peregrino, si regionis linguam non noverit: non absurdè illum in Crucifixi vulneribus, aut in ipso Christo crucifixo habitare dicemus, qui crucis sectetur disciplinam, Crucifixi legibus, Crucifixi moribus vivat; Crucifixi veste, Crucifixi linguâ utatur; hoc est, qui ardenti sese Domino suo assimilandî studio, nihil nisi dolores & opprobria sibi optanda & amplexanda petet; nihil nisi crucem, suique contemptum atque odium, aut sapiat, aut loquatur; verbo, qui Crucifixi sensus atque affectus, aut (quæ vox est Apostoli Pauli) ipsum Christum induerit, & in eum quodammodo transferit. Quò se pervenisse

*P. I. sim. c. 1.*

indicare videtur S. Bonaventura: nam cum aliquando vi cujusdam contemplationis eximiæ, in amantissima vulnera Domini nostri Jesu Christi, ut ipse ait, subintrasset, & oculis jam oppletis sanguine, veluti palando ad intima viscera divinæ charitatis ejus pervenisset, ijs undique circumplexus, exitum invenire non potuit: *Idcirco, (subdit) in eis*

*habere*

*habito, & quibus vescitur cibus vescor, ac ibi inebrior suo potu, &c. Quod quidem quid aliud esse dicam; nisi jam, non hospitem & advenam, sed tanquam civem Christi viscerum, & domesticum cordis illius esse?*

Ut igitur rem in pauca colligam: *Habitare in Christi vulneribus*, est Christi dolores ac vulnera perpetuò mente tractare; Jesu crucifixo ardenti amore inhærere; ex Crucifixi institutis ac disciplina vivere, eadem sentire, eadem loqui, & per omnia ejusdem moris & quasi coloris cum Christo crucifixo esse.

§. 2.

*Habitationis in Christi vulneribus multa ac pretiosa utilitates.*

Quanta porrò, putas, talis habitationis sunt commoda? Quanta Christum incolere, & in Christo manerè, felicitas? Quanta securitas in illis foraminibus petrae, in illa sublimi & munitissima arce pectoris Christi? Quanta pax & quies in illo secreto tabernaculo, atrio coeli, vestibulo supremæ felicitatis? Quantae deliciae in ipso corde Crucifixi, in illa cella vinaria, apotheca cœlestium gratiarum? Quantae divitiæ in illo gazophylacio divinitatis? Ibi nimirum (ut pluribus infra demonstrabimus, cum privatim agemus de delicijs cordis Christi) ibi inquam est securitas à malis, vacuitas à curis, quies à laboribus, silentium cupiditatum, soporatio sensuum, ebrietas animæ, transformatio spiritûs, oblivio mundi, amissio sui, sapor, gustus, amplexus & intima possessio dilecti.

Quin (ut & hoc addam) non mens hominis duntaxat in Christo crucifixo habitans, in eo tam blandè ac delicatè acquiescit; verùm & corpus etiam ipsum, vi ejus supremæ & ineffabilis contemplationis, sensim tanquam Christiforme effectum, & ad divinas Christi crucifixi impressiones su-

T t scipi-



fufcipiendas aptatum, in ijsdem Christi vulneribus fuam & ipsum quietem invenit, & eorum quodam gustu pascitur, illecebrâq; tenetur admirabili, ægrè ut deinde ab ijsdem possit avelli. Quod etsi videtur incredibile, id tamen Seraphico Doctori credamus licet, talium utique non inexpecto. Ejus hæc verba sunt, loco superius laudato: *Crede mihi, ô homo! quia si in ipsum (scilicet Christum) per hæc angustia foramina intrare volueris, non solum anima, sed etiam quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet corpus tuum: & quod carnale est, & ad carnalia tendit, ex illo vulnere introitu facto ad id spirituale, ut ceteras, præter eas quas ibi sentis delicias, reputes esse nihil. Unde post pauca ita concludit: Et, si ita accidit de corpore, quantâ credis animam frui dulcedine, que per illa foramina conjungitur cordi Christi? Certè exprimerè tibi nequeo; sed experire, & scies.* Hactenus S. Bonaventura.

Audiamus ad extremum S. Bernardum, illam anime sanctæ in Christi plagis commorationem, ex eo magnificentè & exaggeratè commendantem, quòd anima in illis habitans, quasi extra ictum aut sensum sit tormentorum sui corporis: quippe quæ in illo jam non commoretur, sed altè immersa sit intimis Christi visceribus; ex quo illa loco exultans, videt circa corpus suum occupatam carnificum infamiam, quasi hæc ad ipsum non magis pertineat, quàm si alieno exerceatur in corpore. Ita enim ille de sancto Martyre in Christi vulneribus habitante: *Enimverò non sentiet suam, cum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians & triumphans, toto licet laceretur corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus JESU, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profectò sentiret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petra duruerit? sed* neque

*ferm. 61. in Cant.*

neq; hoc mirum, si exul à corpore dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. submittitur enim sensus, non amittitur; nec deest, dolor, sed superatur, sed contemnitur.

## CAPVT XVI.

Eadem anima Crucifixum amantis studia, nonnullis figuris aut emblematis adumbrata.

### §. I.

Anima sancta, columba nidificans in vulneribus Crucifixi.

**D**ENUNCIABAT olim Propheta: *Relinquitte civitates, & habitate in petra, habitatores Moab; & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Idem tibi modò, sed altiore sensu denunciatum existimes. Relinque civitates, fuge tumultum hujus sæculi, solitudinem ama, quare secretum; ipsum etiam curarum cordis tui strepitum, & tot superfluarum cogitationum turbam devita. Temetipsum, quoad fieri potest, tibi ipse suffurare & eripe, de te toto totus egredere, & demigra in Petram, quæ Christus est. In istius petræ felices latebras, profundè te penetra, intra cavernas & hiatus vulnerum, & te totum penitus abde. Esto quasi columba pennis deargentatis; & in summo ore foraminis, in plaga lateris, intrà ipsa viscera & cor Christi, tutam tibi domum, dulcèsq; nidos constitue. Istuc enim & te provocat Sponsus verbis illis amoris ac desiderij plenissimis: *Surge, inquit amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceria.* Quibus quidem id à te contendit, ut instar teneræ & amabilis columbæ, in sacris suis vulneribus libenter habites. Nam *foramina petræ, inquit B. Petrus Damiani, sunt quinque vulnera* L. 7. ep. 19.

in Cant. c. 2. *na Redemptoris.* Nec minùs appositè S. Gregorius, per cavernam, vulnus lateris, per foramina autem, manuum & pedum aperturas intelligit.

Atque ista caverna, hæc foramina, mysticis columbis tuta perfugia, & deliciosos recessus semper præbuere. Ubi enim securiùs habitarent, aut quem sibi suæq; soboli molliorem nidum invenirent? veruntamen aliquas ex utroque sexu pias istiusmodi volucres ad exemplum proferri, dulcis erit operæ.

Talis sanè columba erat S. Comes Elzearius, cujus absentis desiderium cum jam non ferret Delphina conjux, eademq; Virgo sanctissima; quæsiissetq; proinde per litteras; quid istud tandem esset rei, quamobrem istic tamdiu, nec voto suo modò, sed expectatione quoque longius distineretur; is breviter illi ac dulciter in hæc verba respondit: *Sanus corpore sum, & sospes. Quòd si verò videre me cupis, quære me in vulnere lateris Christi; ibi enim habito, & ibi me poteris invenire: frustra alibi questura.* Talis columba S. Bernardus; qui eo sermone ex quo paulò antè pluscula recitavimus, ad illa scilicet modò relata de Canticis, ita de se ipso loquitur: *Ibo ad illa sic operta cellaria* (hoc est ad vulnera Salvatoris) *atque ad admonitionem Prophetæ, relinquam civitates, & habitabo in petra; ero quasi columba nidificans, in summo ore foraminis.* Neque B. Bonaventuram hîc repetere necesse est, quem nuper vidimus, tabernaculo sibi in Christi latere constructo, ibi veluti in dulci nido, quiescentem, dormientem, &c.

Tales columbæ ex altero sexu, amantissimæ Domini Gertrudis atque Mechtildis; quæ uti arcanâ familiaritate sponso suo assiduè inhærebant; ita à suavifluis (ut loquebantur) ipsius vulneribus avelli non poterant. Potissimum autem in corde Jesu, quasi in thalamo totâ die commorantes, ibi tectum, ibi mensam, ibi lectulum, ibi quietem à curis,

ris, securitatem à tentationibus, ibi dolorum solatium, laborum levamentum, bonorum operum sanctorumq; desideriorum officinam, ibi cœlum, ibi DEUM, ibi omnia inveniebant; inde illos divinos sensus ardorésq; Seraphicos, inde, ignota homini cœlestium inexperto gaudia concipiebant, quorum nos emicantes scintillas, & quasi stricturas, in earum scriptis cernimus. Atque S. Mechtildem, velut *L. 2. c. 19.*

dilectam sibi columbam, quadam die post sacram communionem, hortatum esse Christum legimus; ut per veram, in donis omnibus divinitus acceptis humilitatem, in suo ipsius divino corde nidificaret: Sanctæ porrò Gertrudi pro quadam suarum familiarium impensius oranti, eam à Christo præceptionem traditam; ut scilicet illa, in omni conversatione sua, nidificaret in caverna maceria sanctissimi lateris Domini JESU, & in summo ore foraminis repausando, suggeret mel de petra, id est, dulcedinem intentionis, de corde JESU deificato. Talis rursus columba B. Lydwina, de qua ita scribit autor vitæ: Nimirum sic in illa crevit amor JESU crucifixi, & meditatio acerbissimæ passionis ejus, ut nihil ei esset majori solatio, quàm in illius foraminibus atque plagis nidificare. Tales denique omnes animæ sanctæ, quæ Christi passionem & mortem assidue recogitantes, de mysterijs humanitatis ejus, tanquam de molli fœno, nidum sibi facere studuerunt: secundum illud Augustini in psalmum 83. *Dignatus est Dominus præbere tibi unde nidum faceres: indutus est enim fœno carnis, ut ad te veniret.*

*L. 3. c. 74.*  
*P. 2. vit. c. 7.*

Ex horum igitur imitatione, si tu quoque columbæ pennas assumere volueris, si ad hujus Petræ foramina assidue recurrere, si in Christi plagis libenter habitare, hoc est, cogitatione atque affectu in illis commorari studueris; magnum quidem facies operæ pretium, sed quæ propriè huic loco congruant, istas in primis utilitates consequeris.

*Primum:* ut hoc habens tanquam familiare perfugiū, in his

in his divinis antris ab inferni prædonis insidijs defendaris; qui milvi instar accipitrisve circumvolitat, si quam forte animam ab hac tuta caverna longius abductam, & desideriorum suorum pennâ præpete, per hujus mundi auras incautiùs errantem, comprehendat & laceret: cujus utique ungues vix effugiet columba seducta, non habens cor; illa, inquam, anima, quæ has sanctas latebras ignorat, & in omni tentatione sua ad Christi vulnera, ut ad sacrum asyllum, crebrò confugere non didicit.

*Deinde:* ut in hac tanquam arca divini cordis, protegaris à tempestate & diluvio iræ DEI; quod comprehendet omnes, qui sub umbram alarum Christi crucifixi non confugerint. Sed & cum omnia anxie pervolaveris, non invenies profectò ubi requiescat pes tuus, nisi in arca lateris Christi: quia quidquid foris est, obtinent aquæ turbulentiæ, instabiles, amaræ; & pacem animi extra JESUM crucifixum non reperies.

*Postremò:* ut in eo nidulo, de vicini cordis Jesu ardore concalefacto, excludas & foveas pullos tuos, hoc est, pia desideria sanctòsq; affectus; quibus magis ac magis voluntatem tuam divino cordi subjungas, & hoc in te sentiens, quod & in Christo Jesu, in ipsum denique temet transformare satagas.

Ita multiplici opportunitate, in uno corde Christi & asyllum ad securitatem, & tectum ad tutelam, & domum ad quietem, & nidum ad fœcunditatem invenias.

Ad extremum lubet velut huc pertinens memorare, quod in sua Theopiste refert noster Andreas Alberti: nempe Fredericum Cardinalem Borromæum obrulisse olim cuidam Principi Crucifixum artis antiquæ, intra cujus plagas duodecim columbæ nidulabantur. Quod teneræ pietatis & dulcis amoris inventum, quemlibet autorem habuerit, uti me delectavit legentem, ita credidi Lectori meo placere posse,

L. 2. c. 7.

posse, & fortè nonneminem quondam inventurum imitatorum. Quod autem ajebat modò laudatus Cardinalis, duodenario volucrum numero adumbrari Apostolorum animas, quorum utique circa Crucifixum, ejusq; amabilia vulnera; tota fuerit occupata devotio: id ex eo fit magis verisimile; quòd aliàs quoque compertum sit, in argumento assimili, ejusdem numeri habitam esse rationem. Uti nominatim videre est Romæ in Ecclesia S. Clementis; in cuius absidis medio, antiquo musivo opere, figura prostat Crucifixi, ipsi cruce appictis pari numero candidis columbulis, quarum quinque infernè cernuntur, ab imo tanquã crucis stipite consurgere; tres verò supernè ad Domini verticem, quatuor reliquæ ad crucis brachia, seu binæ ad dextram, binæ ad lævam Salvatoris.

Demum video S. Paulinum eosdem Apostolos figurasse, adjecto choro columbarum circa coronam seu orbem lucidum, qui Crucifixum in S. Felicis Basilica positum cingeret: ipso ita testante, eo epigrammate, quod ea super re ipse conscripsit, & S. Severo transmisit.

*Ep: 12. ad  
S. Sever.*

## § 2

*Anima Crucifixo devota, turtur sedens in palma  
Crucis.*

**M**editanti columbæ (quod ei ut proprium tribuitur apud *Isai. 38. 5* Isaiam) congementem turturem adjungo, quòd earũ, quantum ad rem nostram, affinis omninò sit indoles; eã etiam de causa, paucioribus de hac ipsa volucre acturus.

Equidem columba & turtur, quibus solus gemitus pro cantu est, avium solæ in sacro Cantico commendantur. Sed turturis vox nominatim commemoratur à Sponso; viduæ præsertim & solitariæ, & amissum comparem suo gemitu requirentis: fortassis, quia ut ait Hugo de S. Victore: *Vox turturis tota de amore, & non novit aliud præter amorem turtur;*

*Cant: 2.*

*Serm: de Af-  
sumpt: B. F.*

*tur;*

tur; & illi singularis est amor, qui soli non adjungit alterum, & aternus, qui nec primo secundum.

Atque de turturis viduæ moribus tria præfertim hæc facientia tradit Aldrovandus & alij. Primum: eam deinceps solitariam semper degere, amissi comparis desiderio suspirantem. Alterum; quod observat etiam S. Bernardus: nunquam eam in ramo viridi, sed tantum in arido residere. Postremum: aquam limpidam & illimem, nisi quam prius alis turbaverit, non bibere. Quæ quidem imago sunt animæ Christi crucifixi amore languentis, & ejus absentis desiderio, loca silentio & mœroribus amica sectantis, & si quid in mundo dulce occurrit, passionis Christi recordatione confundentis, & in sola denique dilecti cruce acquiescentis.

Unde S. Bernardus ad hujus volucris imitationem sanctam animam invitans: *O Sponsa Christi* (inquit) *assimilare & tu huic turturi, & præter JESUM Christum Sponsum tuum, amatorem non queras alterum. O Sponsa Christi, esto similitudo turturi, & luge die ac nocte cum desiderio JESU Christi Sponsi tui.* Et in alio tractatu: *Sede itaq; solitarius sicut turtur; nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum; etiamq; ipsum obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupisces Rex decorem tuum. ô sancta anima, sola esto; & soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, &c.* Ista Bernardus.

Porro hujusmodi sanctis turturibus abundat mons Calvariæ: quæ modò in arido crucis ligno confidentes, pijs gemitibus prosequuntur Sponsi absentiam: modò intra Sponsi Crucifixi apertum latus absconditæ, arcanam in eo sanctæ quietis divinæq; contemplationis sedem inveniunt; propter quod etiam B. Petrus de Alcantara (ut non multò post videbimus) plagam lateris Christi, nidum turturum sanctarum appellavit.

Et talis turtur est Sancta Ecclesia, quæ (juxta S. Chryso-

stom-

ostomum homiliâ quadam, quâ de turture & Ecclesia inscripfit) viro suo Christo crucifixo quodammodo in terris superstes, alijs jam non capitur amoribus, sed ipsum desiderat, ipsum expetat, & desiderio ejus commori cupit. Talis turtur privatim quævis anima JESU Christo crucifixo devota; atq; ante omnes, ipsa Beata DEI Mater, quæ (velut istarû sanctarum turturum dux ac princeps) tum, quoad licebat, etiam corporis præsentia frequens erat in monte Calvariæ; tum mente jugiter in cruce & Crucifixo habitabat. Quorum numero denique ut adjungamur, his verbis hortatur pijsimus Joannes Thaulerus, in explicatione passionis Dominicæ apud Blossium: *Accedamus ad hunc myrrhæ montem, & cum turture gemebunda in palmam crucis conscendamus.* Sic ille.

cap: 16.

## §. 2.

*Anima sancta, mystica Philomela, ad pedem crucis deficiens & emoriens.*

SED enim ne solos gemitus in passione Domini commeditanda probare videamur, delectat attexere: Christi crucifixi amantem animam, non columbæ tantum aut turturi gemebundæ, sed & argutissimæ omniumq; vocalissimæ volucris, Lusciniole inquam, aptè comparari.

Extat inter S. Bonaventuræ opuscula, amatorium canticum, cui titulus est *Philomela*, è rhythmis confectum prædulcibus, nec inelegantibus, ad pietatem certè sanctumq; amorem conciliandum prorsus compositis; quorum, incompendium collata, ista sententia est.

Principio, poëtæ in morem blandè ad se invitat Philomelam, quam pro se mittat ad amicum absentem, & (ut apparet) ægrum animo, solatij gratiâ; ut illum cantu deliniat, & voce dulcis *Lyræ* (sic enim loquitur) ejus tristitiâ depellat.

Exponit deinde, quod dicit legi de hac volucre: ipsam,

V u

ubi



ubi mortem imminet quodammodo præferit, primo diluculo arboris ramo insidentem, extento rostro advenientem auroram salutare; post verò, prout lux magis ac magis intenditur, ita illam magis magisque vocem contendere, atque inardescere cantando; dum sub ipsos æstus meridiano, præ nimia cantus contentione labefactato vocis organo, sensim deficiens, atque ad extremum disruptis corporeculi venis, & interciso spiritu, sub diei exitum exanimis denique concidat.

Tum verò hæc ipsa ad animam JESUM amantem (quæ istâ volucre adumbrari pronunciat) ingeniosè pièque transiens, diem mysticam & Christianam ex diversis DEI beneficijs componit; quam scilicet diem, conscensâ crucis arbore, læto pièque cantu, id est assiduâ divinorum beneficiorum recordatione celebrans anima, magis atque magis inardescat cantando, hoc est, DEUM amando atque laudando (nam secundum S. Augustinum, *vox hujus cantoris, fervor est sancti amoris*) dum & ipsa denique disrupto cordis organo, præ sancti amoris vehementia concidat, & ad pedes Christi crucifixi felicem spiritum exhalet.

Exinde diem hanc in suas quasi horas partiens, primo diluculo humanæ conditionis beneficia assignat, quò in DEI amorem paulatim assurgens anima, ipsum DEUM venerari ac laudare occipiat; quòd se ex nihilo, solâ bonitatis incitatione, produxerit; quòd suæ divinitatis imagine insignierit; quòd ipsius summi boni fruendi (nisi ipsa se per recordiam eo indignam reddat) capacem effecerit: quibus illarebus cum quòd rependat non habeat, præter amorem, sic eam inter cætera Conditorum suum alloquentem facit:

*Unica suavitas, unica dulcedo,  
Cordium amantium salutaris prædo;  
Totum quidquid habeo, vel sum, tibi dedo;  
Denique depositum meum tibi credo.*

Horam

Horam primam assignat Incarnationi & infantia Salvatoris; ubi jam fibris ardore gliscente, sensim colliquescit anima, contemplan DEUM suâ causâ hominem factum, involutum panniculis, in præsepi vagientem, & omnibus nostræ mortalitatis incommodis & injurijs obnoxium.

*Plomns ergo clamitat: ô fons pietatis*

*Quis te pannis induit diræ paupertatis?*

*Tibi quis consuluit sic te dare gratis,*

*Nisi zelus vehemens, ardor charitatis?*

Et subinde: *O prædulcis parvule, puer sine pari;*

*Felix cui datum est te tunc amplexari;*

*Pedes, manus lambere, sentem consolari;*

*Tuis in obsequijs jugiter morari!*

Tum ad horæ tertiæ pensum progressa, meditatur, & grata commemorat labores immensos, quos in reliqua vita Redemptor, & maximè in Evangelio disseminando pertulerit; famem nempe ac sitim, frigora & æstus, sudores & tædia, opprobria & sannas; ex omnibus sumens ardori suo materiam, & præ amoris vi velut ebria, talisq; Magistri desiderio suspirans: unde & canentem audis:

*Felix cui licuit sub hoc præceptore*

*Conversari jugiter, & ab ejus ore*

*Mel caeleste sugere, præ cuius dulcore*

*Amarefcunt cætera, plena sunt fatore.*

Sed ubi ad horam sextam perventum est, cui horæ attribuit Doctor Seraphicus passionis ac mortis Christi contemplationem; tum verò amore atque dolore exæstuat, contemplan innocentem agnum, coronatum spinis, lividum verberibus, clavis perfossam, toto corpore lacerum ac cruentatum; dum dolens aspicit dilecti sui pallentem vultum, languentes oculos, latus confossum atq; apertum, & immensum ejus agnoscit amorè per rimas vulnerum ve-

lut emicantem, ac se prodentem. Quocirca ad illum conversa in hunc modum exclamat:

*Hæc amoris signa sunt, & postrema primis  
Copulans associas, summa figens imis;  
Monstrans ut sic moriens nos amares nimis,  
Dum te totum funderes tot. apertis rimis.*

Ergo jam varijs amoris fluctibus partes in omnes agitata, suspirat, gemit, exclamat, stupet, inardescit, languet, æstuat, queritur, & præ suimet impatientia, quasi minime amet, increpat sese, & amenti similis lictores compellat, ut se quoque suffigant cruci, cum dilecto morituram; aut si id non datur, optat saltem ut sibi liceat,

*In caverna lateris nidulum parere,  
Et extremum spiritum illic exhalare.*

Inter hos æstus, & velut modulos affecti cordis, intensæ flammæ violentiam non sustinens, in Amoris sui Crucifixi hærens amplexu, sensim tabescit ac deficit, dum sub horam nonam præ amoris vi corde disrupto (hoc est, ruptis ac dissilientibus citharæ chordis) Philomelæ instar ad crucis pedem victa concidat, & fortunato invidendôq; leto, vitam amore atque amori ponat. Sic ferè S. Doctor de sua mystica Philomela.

Quæ tametsi in terris rara avis est (pauci enim sunt ejusmodi, ut vocat Bonaventura novi martyres, qui amore solo atque dolore vulnerati, mortem appetant & oppetant inter vulnera Salvatoris) tamen & non uni id contigisse accepimus, & ex hoc ipso Belgio nostro proferre possumus ejusmodi Philomelam, propter Mosæ ripas, inter arduas rupes enatam.

*L. 1. apum,  
c. 25.*

Refert Thomas Cantipratanus, sub annum Domini 1216. virum pium ex oppido Dinantæo (quod in extremis Eburonibus est) devotionis ergo peregrinationem in Palestinam suscepisse; ibiq; piè lustratis locis cæteris, quæ Sal-

vato-

vatoris gestis consecrata essent, postremò ad Calvariæ montem, & crucis Dominicæ locum venisse. Hic verè rerum, quæ inibi gestæ essent, memoriâ, graviter ingemiscentem, in has voces cum clamore valido & lacrymis erupisse: *Quid tibi benignissime Domine, quid inquam tibi Chrisme retribuam, pro omnibus, quæ prius amator amabilis mihi mirabiliter tribuisti? Vidi prius loca, in quibus natus, & inter homines conversatus, doctrinam Evangelicam prædicasti, & Deitatis tuæ indicia per miracula demonstrasti; & quidem ob amorem & reverentiam tuam, sincero corde complexus sum. Hunc verò locum passionis & mortis tuæ æquo animo videre non possum, ubi clavus crucifigi, terebrari lanceâ, & animam pro nobis tradere voluisti. Hac ut beatus ille peroravit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, spiritum exhalavit. Ita Cantipratanus: profus consentaneè ijs, quæ sub idem tempus S. Bonaventura scripsit de sua Philomela.*

Cui etiam affine quiddam de B. Henrici Susonis matre, in ipsius Susonis vita legimus.

*Vit. c. 45.*

Confirmâtq; Joannes Thaulerus, aliquos præ amore Dei rupto corde animam fundere: immò esse compertum, plures eo leti genere extinctos esse. Adfertur denique à S. Bernardino Senensi dulcissima sanè S. Francisci precatio; quam (sive de ista felici morte, sive de alia non minùs pretiosa accipiatur, quâ spiritualiter nobis mortui, soli Christo vivamus) juvabit hinc ad usum apponere: *Absorbeat, queso Domine JESU, mentem meam ignita & mellisua vis amoris tui, ab omnibus quæ sub cælo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris nostri dignatus es in ligno crucis mori.*

*serm. 1. Dõ:  
post octab.  
Epiph.  
tom. 2. ser.  
60. a. 2. c. 2.*

## CAPUT XVII.

*De delicijs quas invenit anima, in corde JESU Christi Crucifixi.*

Quan-

Quamvis, quàmq; sinceris, iisq; omnem, non sermonem modò, sed sensum etiam aut cogitationem humanam exsuperantibus delicijs, redundet cor Christi crucifixi, expertæ nôrunt felices illæ mentes, quæ à rebus abductæ mortalibus, divinum illud cor devotâ contemplatione subintrant; in eòq; non modò diversari atq; morari, sed etiâ assiduè habitare, ac velut in centro votorum suorum conquiescere amant. At quando non omnibus compertæ sunt illæ, quas memoramus, in corde Christi vulnerato conclusæ delicia: neque enim omnes, eorum etiam qui vitam sectantur spiritalem, palatum cordis usque eò purgatum habent, ut earum divinum saporem, & in intimo quasi recessu reconditam suavitatem, percipere valeant; operæ pretium erit hoc loco, quarundam sanctarum animarum, quæ ad tanta bona degustanda non semel admissæ sunt, experimentum appellare, earumq; super ijs sensum ac iudicium exquirere. Quo illud in primis efficiatur, ut earum rerum inexperti, aliorum saltem qui eas gustârint sensu cognito, ea quæ de tam divina suavitate dicuntur, incredibilia non existiment; tum ut ijs sensim earundem deliciarum cupiditate incitetur animus; simulq; paretur gustatus cordis, ad eas, si Deus donârit, experiendas atque fruendas.

## §. I.

*Testimonia S. Gertrudis, S. Bonaventura, &  
eiusdem p̄i Scriptoris.*

PRima testimonium dicat S. Gertrudis in suis divinis insinuationibus: cujus ego verba cum per se posita primum legerem, illam existimavi de cœlesti gloria, aut æterno beatorum domicilio ea dicere, quæ postea de Christi pectore, purarum mentium suavissimâ & delicatissimâ mansione, ab ea dicta esse deprehendi. Nimirum animæ Deum amanti, & adhuc in ista solitudine peregrinanti, Crucifixi cor pro

Para-

Paradiso est: quia, ut itidem testatur Lætiensis Abbas: *Qui os anima sue patulo lateri ejus convenienter admoveo, ibique commorari, & ad intima cordis illius pertingere novit, is utique vinum vite aeternae degustat, & perfectum habet, quàm amœna Paradisus sit JESUS.* Verùm audiamus illam Christi dilectam divini cordis suavitate, quàm mollissimè potest & exaggeratissimè explicare satagentem.

O (inquit) *eternale solstitium, mansio secunda, locus totum L. 2. c. 8.* continens quod delectat, paradisus perennium deliciarum, præterfluens rivus inestimabilium voluptatum, alliciens florigerâ vernantiâ omnigenarum amœnitatum, demulcens suavi sono, immò suaviter afficienti melodiâ, intellectualium musicorum, reficiens odorifero spiramine vitalium aromatum, inebrians resolventi dulcedine internorum saporum, immutans mirâ blanditate secretorum amplexuum. O ter felix, quaterq; beatus, & (si dici potest) centupliciter sanctus, qui gratiâ ductrice permotus, innocens manibus & mundo corde, purisq; labijs, illic meruit appropinquare, ubi dilecto suo intimè valet uniri & incorporari. *ô quid videt, quid audit, quid olfacit, quid gustat, quid sentit!* Hactenus S. Gertrudis, cunctas in unum coacervans blanditias, voluptatum formas, nomina ac genera deliciarum. Quid illa, amabo, diceret ampliùs, si rapta usque ad tertium cœlum, & apertâ DEI visione dignata, beatarum mentium delicias, torrentem illum voluptatis, in ipso divinitatis corde gustasset? At illa gaudia jam percipiebat in corde Christi, & superinfundente se divinæ suavitatis copiâ, ita non dico delibuta, sed capta, commota, inebriata dulcedine est; ut cum summa omnia de suis delictijs dixerit, quidquid tamen efferat, eo quod experitur, minùs putet.

O anima, ingredere & tu, quoad licet, in amœnam paradisum pectoris Christi, in ardentem pulchri amoris officinam, in apothecam cœlestium gratiarum. **Ingrede-  
cum.**

cum amore & fiducia: hæc siquidem sunt veluti claves istius cellæ vinariæ, in qua cœli mustum ebullit atque exundat: quo semel libato ac degustato, desipient profecto cætera, comperiensq; nihil uspiam esse dulcius, quàm in corde Christi crucifixi assidue commorari, ejusdem inebriari sanguine, pasci vulneribus, ejus denique opprobria summam gloriam, dolores summas delicias computare. Sed pergamus nunc alterum testem producere.

Alter testis sit Seraphicus Doctor S. Bonaventura: qui cum aliquando (uti jam supra memoratum est) arcanâ quidam ratione amantissima Christi vulnera subintrasset, domumq; ad intima viscera charitatis ejus pervenisset, tantum istic affectus & completus est dulcedine, quantam sese neget exprimere posse dicendo. Quapropter ingemiscens exclamat: *O cecitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt introire! supra vires suas laborant in vanum: & aperta sunt ostia ad quietem. An ignotis (subdit) quid Christus est gaudium beatorum? cur ergo tardatis per sui corporis foramina in gaudium illud introire? Deinde ut hunc quoque videas in Christi corde paradysum invenisse: Ecce, inquit, aperta est janua paradisi; & par lanceam militis, gladius versatilis est amotus. Ecce apertus est thesaurus divinae sapientia & charitatis aeterna. Intra ergo per vulnere aperturam, & cum cognitione magnas delicias obtinebis. Quis rursus delicias tantas esse confirmat, ut ad extremum vertatur, & cavendum admonet, ne qui in Christi passione ac vulneribus commeditandis se exercet, id faciat fruenda istius dulcedinis gratiâ, & non potiùs (uti par esset) ut sit conditoris beneficia recognoscens, magis ac magis in eis accendatur amorem.*

Idem alio in loco divino amore colliquefcens, & ipsi absorptus delicijs, quas degustaverat in corde Christi vulnerati; *O felix amor (exclamat) qui nos facis languides spiritus nostri*

nostri amplexibus sustentari! ô desiderabilis amor, qui summis delicijs replet egentes! sed si liquefacta es ad verbum ejus, ô anima, quomodo sustines amplexus ejus? quomodo non es consumpta ad oscula ejus? si liquefacta es ad assatum ejus; quomodo non es absorpta, cum intras per vulnera, & pervenis ad cor ejus? Hæc S. Bonaventura.

Ludovicus Bloisius in farragine utilissimarum Institutionum, ex scriptis potissimum Joannis Rusbrochij decerptarum, invitans nos, ut Christo dilecto nostro liberali corde totum demus quod sumus, quod habemus, & quod possumus; ita enim fore, ut ille vicissim nobis donet quidquid est, habet & potest; quâ die nulla nobis unquam lætior illuxerit: Nam patefaciet (inquit) tibi gloriosum atq; amantissimum cor suum, patefaciet intima anima sua penetrantia, plena gloria, gratia, gaudij ac fidelitatis. Patulum lateris ejus vulnus, porta tibi erit & introitus in vitalem (qui ipse est) paradisum, ubi fructum gustabis vite æternæ. Nam Christus vitalis noster paradisus est: quandoquidem in ipso & ex ipso sempiterna salutis fons emanat, atque ex ipsius vulneribus balsamum fluit, morborum omnium medicina. Et paulò post: Ceterum in intimis Domini JESU, mellis manant flumina, omni (qui quidem excogitari possit) sapore ac suavitate dulciora: in qua si tibi datum erit ingredi, eaq; gustare ac sentire, nullo negotio mundum, te ipsum, & omnia vinces. Sic ille.

## §. 2.

Testimonia S. Bernardi, Guilielmi Abbatis, & B. Petri de Alcantara.

AT S. Bernardus in libro de Passione Domini, cordis Christi mentione injectâ, ista subdit inter cætera: Sed cap. 3.  
quia semel venimus ad cor dulcissimum JESU, & bonum est nos hic esse, non sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes à te, in terra scribentur. Accedamus ergo ad te, &

X x

exul-



exultabimus & letabimur in te, memores cordis tui. *ô quàm bonum est, & quàm jucundum, habitare in corde hoc!* Etmox: *Ad hoc templum, ad hac sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti, adorabo & laudabo nomen Domini.* Postea autem: *ô omnium pulcherrime (inquit) & speciosissime JESU, amplius lava me ab iniquitate mea: ut purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vite mee merear habitare. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut omnibus pateat introitus. Ad hoc vulneratum est cor tuum, ut in illo & in te, ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Vide plura ibidem.*

Audiat & Bernardi æqualis Guilielmus Abbas Sancti Theodorici, quodam loco sic JESUM alloquens: *Quæ autem Domine trahis eos quos amplecteris, nisi ad cor tuum? Cor tuum dulce est illud manna divinitatis tue, quod inuis habes, ô JESU, in urna aurea supersapientie anima tua Beati, quos ad eam tuus trahit amplexus! Beati, quos in abscondito absconditi illius abscondisti, in medio cordis tui, ut scapulis tuis obumbrentur à conturbatione hominum: nec habeant spem, nisi sub pennis tuis protegentibus & foventibus! Scapulis enim virtutis tue obumbrantur, qui in abscondito cordis tui absconduntur, suaviter dormientes, & dulci expectatione latantes. Unde etiam alibi de hoc ipso agens, exclamat in hunc modum: *Si te ostium invenio apertum, ingredior; & bene mihi est, quamdiu licet. ô si videbo! ô si dumbo! ô si unquam aliquando audiero: Intra in gaudium Domini tui! ut sic introeam, & ultra non exeam.**

Postremo loco juvat audire B. Petrum de Alcantara, ex Ordine S. Francisci, virum in rebus ejusmodi diligenter exercitatum. Is igitur in aperto Christi latere commorati solitus, in eoque miras & inexplicabiles deprehendens suavitates,

tates; ut eas nobis partim adumbret, omnes similitudinum amœnitates accersit, rerumq; ac vocum illecebras, in hunc ferè modum erumpens in quadam sua de vulnere lanceæ meditatione. *Exivit, inquit, sanguis & aqua ad mundi peccata sananda. O fluvius egrediens de paradiso, ad irrigandam universam superficiem terra! ô pretiosi lateris vulnus, quod amoris potius cauterio, quàm inimica lancea ferro apertum est! ô porta cæli, fenestra Paradisi, locus quietis, turris fortitudinis, justorum sanctuarium, nidus turturum sanctarum, sepultura peregrinorum, lectulus floridus Sponsæ Salomonis! Salve divini lateris vulnus amabile, quo piorum corda sauciantur; plaga justorum mentes vulnens; rosa miræ pulchritudinis, carbunculus valoris inestimabilis, aditus ad cor JESU, argumentum amoris ejus, & pignus vitæ sempiternæ. Sic ibi.*

Ex quibus omnibus liceat hîc obiter colligere: quanta sint in cælo reposita gaudia Christum amantibus; quando tam ineffabilibus exundant lætitijs, in sola contemplatione Dominicæ passionis. Nam si ea adest pijs mentibus gaudiorum ubertas in via; immo in exilio, in valle miseræ & lacrymarum: quid illis censebimus reservari in patria? Si hæc in umbra, & quadam divina caligine: quid in luce & splendoribus sanctorum? Si ista in complexu crucis, quid experientur in ipso sinu divinitatis? Sed de his hæctenus.

## CAPVT XVIII.

*De delicijs animæ sanctæ, in corde Christi, unâ cum ipso epulantis.*

§. I.

*Cor Christi crucifixi, triclinium esse animarum sanctarum.*

Xxz

Dice-

cap. 6. Const.  
mon.

**D**icebat magnus Basilius, eum qui verè Philosophus sit (hoc est, studio virtutis & spirituali exercitationi deditus) habere in se naturale quoddam Monasteriũ, seu veluti quendam locum secretum, aut recessum cordis; quò sed tumultu recipiat rerum sæcularium, & ubi etiam inter turbas, tanquam in magna solitudine versetur.

Ejusmodi ego naturale seu non manufactum Monasterium dico animæ piæ esse ipsum Christum crucifixũ; quem illa si secum assiduè mente circumferat, inveniat in illo velut sanctam quandam solitudinem, in qua jam non modò secreta requiescat à strepitu & turbis hujus sæculi, sed arcanas etiam delicias atque ineffabiles experiatur.

l. de pan. c. 7.

Atque hæc jam mihi venit in mentem, Petri Abbatis Cellensis ingeniosum commentum; qui quodam in loco agens de cœlesti patria, ait: beatas mentes, in ipso Christo Jesu Sponso suo, omnes spiritualis cujusdam Monasterij seu Cœnobij partes ac membra reperire. Illis siquidem refectio- nis locum seu triclinium esse pectus Jesu; sinum Jesu esse dormitorij; vultum Jesu, oratorium; latitudinem, longitudinem, sublimitatem & profundum Jesu, illis esse pro claustro; conforrium Jesu & aliorum beatorum, pro capitulo, ut vocant; sermones Jesu divinissimos de Sanctissima Triadis & Incarnationis suæ arcans, pro auditorio. Hæc ille: quæ, si cui id placuerit, difficile non erit, ad Christum crucifixum, & animam adhuc peregrinantem, proportionè quadam accommodare. Nam huic quidem certè pro triclinio assignabimus, ipsum Christi cor vulneratum atque apertum, in quo (uti modò demonstravimus) sapore divino & delicijs fruatur incogitabilibus; faciem Christi crucifixi, pro loco oratorio, quòd eam par sit, tum aliàs semper in Christi oculis ac præsentia agere, tum verò maximè pietatis commentationis precationisve tempore, in vultu Crucifixi habitare; sinum Christi pro dormitorio, ubi cum dilecto

disci-

discipulo reclinet caput, & dulci sopore obdormiscat sanctæ contemplationis; pectus Christi pro claustro, in quo abscondita mundo lateat, eorum omnium quæ foris aguntur secuta; crucem denique aut Calvariæ rupem, pro auditorio, pro capitulo. Ista enim, uti post dicemus, exedra quædam sunt aut schola omnis asceticæ sapientiæ, in qua luculenter, non agenda duntaxat præcipiuntur, verum etiam quæ pravè gesta sunt, redarguuntur, & quid corrigendum emendandumve sit, discitur.

Addere libet verbis pauculis, quod hic etiam suggerit Joannes Justus Lanspergius in Pharetra divini amoris: ubi suum ascetam ita informat, ut in Christi crucifixi vulneribus certas sibi tanquam officinas constituat: & in vulnere quidem pedis dextri, sibi balnei instar apparet; in vulnere sinistri, pharmacorum inveniat salutarium apothecam; in plaga manus dextræ sanctarum virtutum & meritorum Christi vestiarium, in plaga sinistræ tutum propugnaculum adversus hostes, sive instructissimum omnis armaturæ spiritualis armamentarium; ac demum cordis vulnus sit illi thalamus, in quo, amore casto, Sponso suo cœlesti conjungatur. Hæc ille.

*L. 1. p. 5.*

Attamen, quod hic propriè contendimus, video etiam S. Gertrudem, cum similiter in Christi membris spiritualis cujusdam Cœnobij partes sibi deligeret, ipsomet Christo suggerente, cor ejus pro templo, & refectiois ac quietis loco habuisse: similiterq; à S. Bernardo, in quadam rhythmica membrorum Christi salutatione, de qua postea, divinum Crucifixi pectus non amoris tantum domicilium, sed humilium quoque triclinium appellari.

*L. 3. c. 28.*

Porro cum vicissim ipse Christus, cor sese purè ac castè amantis veluti triclinium suum repuret, in quo libenter cum anima dilecta cœnet, reficiatur, delicietur: hinc subnasci potest amatorij cujusdam exercitij, & blandæ inter amantes

tes

tes collusionis occasio; dum sese Christus ad dilectam animam, & illa è contra sese ad cor Christi invitat, rursusque ad sese alter alterum. Quo modo illa dilecta in Canticis, quæ sese antea à Sponso invitata meminit, & introductam in cellam vinariam, postmodum eundem invitat ad se, primum ad hortenses delicias, fructus pomorù & favum melilis, mox ad lautiora genialis thalami cupedia, vinum conditum, & mustum malorum granatorum.

*Cant: 2.**Cant: 5.**Cant: 8.**Apoc: 3.**Prov: 9.*

Quem etiam sensum habere videntur illa Christi in Apocalypsi: *Cenabo cum illo, & ipse mecum*; hoc est, *apud me*; nimirum vicissim à me postea invitatus.

Et quamvis harum arcanarum blanditiarum ratio, non tam arte tradi, quàm amore magistro disci solet: Libertamen affectuum huiusmodi paradigma aliquod ruditer præformatum subijcere, & (quod ait Scriptura divina) dare occasionem sapienti.

## § 2

*Desiderium anima amanti, & in Crucifixi cor ingredi, & unà cum illo refici ac deliciari affectus.*

Quam in rem in primis animo fingere atque imaginari potes, puerum JESUM (quemadmodum subinde in picturabellis exprimi solet) nudulum, suâ onustum cruce, serotiq; spineo coronatum, & stillantem sanguine, adstantem ad fores cordis tui, introgredi affectantem; ut dolores tuos tecum in corde communicet, in eòq; tanquam molli lectulo, quietis nonnihil & solatij aucupetur. Quo quidem habitu pulsantem illum, tanto antè visa est describere sponsa, cum diceret: *Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & ciccini mei guttis noctium.* Quo verò rore, nisi rosei sui sanguinis? aut quarum noctium guttis, nisi passionù

&amp; do-

& dolorum suorum? Noctem quippe hoc loco S. Paulinus interpretatur passionem. *Ep. 4. ad Seb.*

Neque istuc duntaxat, sed alibi quoque stantem ad ostium, & pulsantem agnosces dilectum; neque manu tantum, sed voce etiam contenta, quasi omnino ad te intrare, & tecum cenare atque refici velit, fores tuas (quæ vis est amoris & inquieti desiderij) importunius obtundentem. Hic verò quid agas? nisi ei aperias denique; saltem ut tuâ paupertate excusata, ad illum potiùs admitti postules, & conversâ vice id ab eo instantè contendas. Delectabit amantem ingenuæ mentis simplicitas; qui utique non aliâ de causa cor tuum sibi præberi expetit, nisi ut vicissim divinum cor suum tibi redonet, eòq; sese invirat ad te, ut te suis donis ac delicijs reficiat. Quare hunc in modum, si lubuerit, illum amantèr compellare potes.

Dudum est, scio, dilecte mi, cùm foris stas ad ostium cordis mei, & pulsando ingressum affectas; neq; pulsû tantum sollicitas fores meas, sed clamorem etiam intendis, ut exaudiam. *Si quis audierit (inquis) vocem meam, & aperuerit mibi januam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.* *Apoc: 3.* At, ô duritia cordis mei! surdæ sunt fores istæ, benigne J E S U, & non est intus qui exaudiat. Præcordia ista ære triplici obseptæ sunt, ut non facilè sit aperiri. Atq; ut intraveris, domi quidem meæ merum frigus est, jejuna omnia, & quod pro voto cenare possis, non invenies. Amabo, Domine, commutemus consilium: & quando tanta est mecum cenandi cupiditas, invita me potiùs ad te ipsum. Quippe pectus tibi amoris vulnere jam apertum est, & laxatis præcordiorum claustris, viam facilem ad cor tuû, & molles aditus ostentat. Ibi autem inveniemus cœnaculum grande stratam, illam cordis tui spatiosam latitudinem, triclinium floridum ac suaveolens, mensam ornatam apparatu regio, & omnibus bonis paradisi redundantem, omni virtut-

virtutum gratiarumq; copia, ad spirituales delicias, & sanctam animæ ebrietatem instructam. Ibi enim mel & lac paradisi; ibi frumentum electorum, & vinum germinans virginis; ibi mustum malorum granatorum, doloris amorisq; prælo, de ipso tuo divinißimo corde expressum. O si illuc mihi intrare liceat deniq; si tecum cœnare, & gustare quam suavis est Dominus! O si illic tecum inebriari, si soporari, si mori, si sepeliri!

Sed audire dulce est hoc loco S. Bonaventuram, hæc ab similibus animi sensibus sanctè indulgentem, & pari quadam amoris licentiâ dilecto suo alludentem. *Ornabo me memilibus* (inquit) *& ipsum introducam in thalamum cordis mei, & ibi secum de cetero requiescam. Bene scio, quod nihil aliud petit: & quarit ipse animam meam visitare, & intrare desiderat, & diu est quod pulsavit. Doleo tamen, quod tantum & tamdiu carui tanto bono. Dicam ergo ei, scio: quod plus quam ego me diligis. De me igitur amplius non curabo, sed solum tuis delictis inbarebo; & tu mei curam habeto. Non possum intendere mihi, & tibi. Et ideo permutatim tu intende mihi & mee infirmitati, ut ipsam subleves: & ego intendam tua bonitati, ut in ea delector. Et quamvis ego tecum lucrer nimis, & tu mecum nihil: scio tamen quod libentius mecum es, & me conservas & promoves; quam ego tecum, ut tuâ persruar bonitate. Unde hoc est nisi quia ego me odi, & tu me diligis.*

Ita sanctæ animæ, amicâ quâdam collusionem nocte Jesum ad sese, nunc sese ad Jesum invitant: & sive cum ipso in earum corde cœnet dilectus, sive ipsa cum dilecto in corde dilecti, utrinque contingit eas resciri de delictis divini cordis; cum nisi de bonis ipsius dilecti nequeant etiam in corde suo dignum dilecto convivium instruere atquo apparere.

## CAPUT XIX.

Plagam lateris Christi animarum sanctarum  
alvearium esse.

## §. I.

Apum mysticarum circa Christi vulnera occupatio.

**A**Nimas sanctas, & quæ DEI gloriæ quibus possunt ar-  
tibus serviant, notum est passim apibus comparari.  
Sic enim S. Cæciliam (ob sedulam fructuosamq; in Valeria-  
no Sponso ad Christi fidem adducendo navatam operam.) *Offic: Eccles:*  
apem argumentosam, sive argutam & industriam, legimus  
appellatam. Et S. Augustinus apud DEI compellatur à Se-  
vero, in hunc modum ad eum scribente: *O verè artificiosa* *Ep. 37. apud*  
*apud DEI, construens favos divini nectaris plenos, manantes* *Aug.*  
*misericordiam & veritatem, per quos discurrens deliciatur a-*  
*nima mea, & vitali pastu, quidquid in se minus invenit, aut*  
*imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur.* Jam ipse  
S. Augustinus, piorum labores in via Domini currentium,  
nonne in quadam epistola opera sanctarum apium appellat? *Ep: 77.*  
Neque aliter Jacobus à Vitriaco Cardinalis, de quibusdam  
magni Eliæ sectatoribus; quos in monte Carmelo vitam *Hist: ord. c.*  
ait egisse solitariam, in alvearibus modicarum cellularum, *52.*  
tanquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes.

Quin & ipsa etiam DEI Mater apud S. Birgittam se- *L. 4. c. 86.*  
met ipsam flori, & electos suos, qui omni devotione ipsius  
honori studeant, apibus similes esse dicit. Extatq; (ut istud  
per occasionem obiter inferam) in ejusdem Divæ sermone  
Angelico, ita appellato, quod Angelo dictante, ab ipsa *c. 11.*  
sancta perhibeatur esse conscriptus; perelegans, & ad Vir-  
ginis gloriæ perapposita cogitatio: *Quemadmodum apia*  
*arva florida circumvolans, universa mellifera gramina diligen-*  
*tius*

Yy



tius perscrutatur, quia ex naturali scientia novis discernere, ubi pullulet flos amœnior; quem si forè ex folliculo adhuc erumpere non viderit, nihilominus tamen ejus ortum cum desiderio delectabiliter præstolatur: simili modo celestis DEUS, quando MARIAM in secreto materni uteri adhuc latitare prospicebat, cum animi consolatione & gaudio ipsius ortum expectabat, ut per ipsius Virginis charitatis dulcedinem, sua superabundans divina bonitas panderetur. Sic ibi. Quibus consequenter sibi figurabit quispiam: Spiritum sanctum Virginis Sponsum, cum eam adhuc ætate tenerâ, & necdum ijs gratiæ suæ mysterijs, quæ in ea esset operaturus, idoneam animadvertet; eam instar rosæ primulûm rubescens ac desiccanti aspexisse; quam ipse instar apis sedulæ, cupido ac crebro circumvolatu & velut ambitu sollicitans, quasi adurgeret, ad se pandendum explicandûmq; quò plenius in ipsa oblectare se, & sua in ea divina dona jucundius libare posset. Ita non modò animas sanctas, sed & DEUM ipsum (quæ ipsius est bonitatis mellitissima in nos inclinatio) apiculæ sedule comparatum habemus. Unde etiam de Christo S. Bernardus: *Apis verò est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde & ad civitatem Nazareth (quod interpretatur flos) advolavit, & ad suaveolentem perpetue Virginitatis florem, advenit, illi insedit, illi adhaesit.* Origenes denique, cum sanctos Prophetas apibus & ipse comparasset, ad extremum & hoc adjungit de Christo: *Est quaedam, ut ita dicam, apis super apes: & quomodo inter apes rex quidam est; sic princeps apum Dominus est JESUS Christus.*

Harum porrò sanctarum apum non postremum munus est; circa florida & vernantia Christi vulnera occupari, & nunc pedum plagas, nunc manuum argutis oculis lacellere; nunc in suaveolenti lateris rosa otiosius insistere & immorari; ex omnibus mel cœlestemq; rorem sugere.

Domi.

serm. 2. de  
Adven.

Hom. 2. in  
Isai.

Dominus olim per os Prophetæ Judæorum sævitiam in-  
culans: *Circūdederunt me, inquit, sicut apes*: quod videlicet P. 117.  
in passione sua, in morem crabronum irritatorum, totis se  
quali examinibus impeterent, ac diris tanquam aculeis con-  
figerent ac fauciarent. At posteaquam in ejus corpore sacra  
hæc vulnera aperta sunt, & in modum totidem rosarum, in  
istam Paradisi amoenitatem effloruerunt, ultro ipse invitat  
animas sanctas, ut se sicut apes circumdent, & de vulnere  
in vulnus volitantes, divinum hinc succum, & cœlestia mel-  
la delibent.

Sanctæ S. Lutgardæ, ex Ordine Cisterciensi Virgini pientis-  
sime, apparuit aliquando Dominus è cruce pendens, & L. 1. tit. c. 6.  
toto corpore cruentatus; qui altero brachio de crucis sti-  
pice detractio, eamq; amanter amplexans, virgineum ejus os  
ad lateris sui vulnus applicuit: ex quo illa tantam tamq; ef-  
ficacem suavitatem hausit, nec in animam tantum, sed in  
corpus quoque sibi diffundi sensit, ut nihil jam esset, quod  
ei dolorem molestiamve posset adferre; salivâ etiam oris  
ejus (quod etiam multò post vario experimento compertum  
est) mellis saporem ac dulcedinem retinente.

Sanctam porrò Mechtildem, inter supremi morbi mo-  
lestias, referebat Sancta Gertrudis, sibi visam esse divinitus, L. 5. infir. c. 6.  
instar teneræ virgunculæ, quæ impetu quodam in dilecti sui  
Sponsi collum irruens, blandis eundem complexibus strin-  
geret, & de singulis ejus vulneribus speciales gustus ac sen-  
sus divinæ voluptatis hauriret; *in modum apis* (inquit) *di-*  
*versorum florum succos avidè sugentis.*

Ergo etiamnum dulcis Salvator, passionem suam de-  
votè contemplantibus, vulnerum suorum copiam facit; ac  
distentus in arbore crucis, illas æterni veris divitias ac deli-  
cias explicat, invitâtq; ad carpendum. Quare (quod Jo-  
annis Thauleri ac Ludovici Blosij monitum est, à nobis su- Explic. pass.  
perius in capite Libri positum) *instar apis sedula huc studiosè* c. 16.

advolemus, de vulnere ad vulnus transeantes; nec aliunde nobis pabula carpamus, cum hæc melle scatant.

l. 1. de Virgine.

Neque diversum est S. Ambrosij votum, dum piam Virginem sic alloquitur: *Quam te velim, filia, imitatrix esse hujus apiculæ, cui cibus flos est!* Et inferius: *Florem quoque tibi demonstro carpendum; illum utique qui dixit: Ego flos campi & lilium convallium, tanquam lilium in medio junarum.*

Habes igitur florem quem libes, & de cujus membro rorem melleum, & succum nectareum carpas. Christi tui vulnera assideo suctu depasce, de Crucifixi areolis inebriare; sed (quod est in hoc genere præcipuum) si apes Christi es, ipsi Christo soli mellificare stude.

### §. 2.

*Easdem non nisi divino cordi mellificare debere.*

**I**stud quippe huic sanctæ apiculæ in primis & ante omnia curandum est; ut in caverna lateris Christi alvearium sibi construat, & intra sinus divini cordis, mellis sui succum ac dulcedinem elaboret: quidquid ab ipso Christo accepit, aut de sacris ejus vulneribus spiritualis saporis collegerit, id omne ipsi Christo referens, ac fonti suo dulcitudinem omnem refundens.

Ille enim in Christi corde, aut Christi cordi mellificat, qui in DEI donis ipsisq; etiam cœlestibus solatijs, non gustum aut voluptatem suam, sed DEI gloriam, & divini cordis oblectationem exquirat; paratus utique, quantum ex se est, aut si id ex DEI gloria aut libentia magis esset, his ipsis carere DEI donis, & in perpetua desolatione & ariditate versari: quod videlicet est, etiam ex absinthio & myrrha cœleste mel carpere; estq; omnium quæ ab humana mente DEO præstari possint, obsequium ejus bonitati longè acceptissimum.

Atque

Atque itidem illud est quod sedulo curabat artificiosa illa apis DEI S. Augustinus; qui (ut ipse de se testatum reliquit) in ijs quas de se sumebat voluntarijs pennis, id unice spectabat videlicet: *ut placeam, ajebat, oculis ejus; ut delectem suavitatem ejus.* Nimirum non sibi, sed cordi divino mellificabat; quidquid ageret patereturve, aut quidquid de caelo sibi donatum esse sentiret, id ipsum ad DEI placitum ac gustum studiosè referens, nullà re se ipsum avarè aut impurè exquirens. Ad quod etiam sese aliòsve adhortans, alibi dicebat: *Ibi fige mansionem tuam, nempe in ipso sinu divini Verbi; ibi commenda quidquid inde habes; saltem fatigata fallacis.*

*De util. jejun: c. 3.*

*L. 4. conf: c. 11.*

Cujus etiam rei momentum intelligens S. Catharina Senensis, his quibus ex animo bene vellet, eam gratiam precabatur à Domino, ut sequerentur Agnum pauperem, humilem atque mansuetum, per viam sanctæ crucis, ad modum seu gustum ipsius, non autem ad modum aut gustum suum.

*In suis orat.*

Atque utinam hoc etiam perenne studium, hoc assiduù nostrum opus esset; non de mundi floribus fugientia & evanida (ut non jam venenata dicam, & pestifera) mella legere; sed de floridis vulneribus Christi, de cœli rosis immarcescibilibus, de ipsis etiam præsentis vitæ doloribus, qui futuræ felicitatis quidam flores sunt, de omni re denique, quæ DEI gloriæ servire possit, pietatis succum divinumque rorem carpere; ac de ipso demum corde JESU, hoc est, de celestibus etiam DEI donis ac beneficijs (ne quid non sincerum ac purum in favis nostris sit) non nisi in corde JESU mellificare, & (quantum id fas est) ipsi suavissimo Redemptoris cordi, de labore nostro suavitatis aliquid impertire. Id etiam nobis de ipsa apum disciplina sumentibus: ut alveari nostro, hoc est, ipso Christi corde contenti, & intimâ amoris ac dolorum ejus contemplatione occupati, exinde nufquam

quam exeamus, nisi ut majori ejus gloriae adlaborantes, undecunque carpamus quiddam quod referamus in alveum, five, unde ipsi divino cordi mellificemus.

cap: 44. Ad extremum concludendo huic capiti proferre placet nonnulla ex S. Bernardi Libello de Passione Domini; ubi hanc apes mysticæ circa Christi plagas occupationem pluribus exequitur, & pias mentes ad idem cœleste divinumq; mellificium hunc in modum inter cœtera invitatur. *Convenit enim (inquit) ut talis modi apes simus, quæ sciant sugere mel de petra. Idem enim hortus & petra, Christus. Si ergo flores querendi sunt; ubi promptius inveniuntur, quàm in dulcissimo Christo? Manifesti sunt flores virtutum & vulnerum ejus. Stet ecce expansis manibus, nudo corpore, manibus firmis & pedibus perforatis, capite inclinato. Consurge nunc & depare, anima mea misera & infirma, & alis Fidei & Spei ad hunc hortum charitatis enitere, & eorum mentis intuitum per varia dispersum in unum collige, ac apum sedulitatem imitans, ad efficiendum mel devotionis, ad Paradisum charitatis ascende, accedens ad cor altum; quia ecce quem quæris, exaltatus est & humiliatus. Et nonnullis interjectis: Nec breviter (subdit) amplexandus est hic Paradisus; sed volandum est per singulos istius Paradisi flores, & singulorum florum folia sunt sugenda: nunc ad dexteram, nunc ad sinistram, rivulos & guttas sanguinis spargentem, propius & interius accedendum. Undelibet querenda est devotio. Ista S. Bernardus.*

Cujus extrema verba (pace tuâ, Lector, id adjiciam) defensionem nostræ licebit obtendere; si quando isto in opere, in varijs tradendis Christi crucifixi colendi modis atque artibus, minutiores fortasse videbimur. Undelibet enim (si S. Bernardum audimus) querenda devotio est. Neque verò apes (ad quarum etiam imitationem Scriptura nos vocat) secundum textum septuaginta Interpretum mellificij studio intentæ, florem quemlibet minutum, intactum prætereant,

eunt, sed libant omnes; & quos probârint, horum folia  
singula sagaci osculo sollicitant, diligentia incredibili, ipsos  
quoque sinus recessusve eorum perscrutantes; si quid operi  
melis idoneum undelibet excerpere atque exsculpi possit.  
*Vade ad apem* (inquit Scriptura) *& discite quomodo operaria* loc. tit.  
*est*: ejus, inquam, in opere faciendo solertiam, studium, ac-  
curationem imitare.

## C A P V T X X.

*Salvatoris apertum latus, esse peregrinorum  
sepulturam.*

§. I.

*Quinam peregrini sepulchri jus hinc habeant.*

**B** Petrus de Alcantara, in supra à nobis memorata de  
vulnere lateris Christi meditatione, inter varia epi-  
theta quibus illud exornat, appellat illud sepulturam pere-  
grinorum: ad id, opinor, respiciens, quod Matthæi cap:  
23. dicitur, pretio divini sanguinis, quod infelix Judas Sa-  
cerdotibus restituerat, emptum fuisse agrum figuli, in se-  
pulturam peregrinorum. Quæ mihi quidem appellatio, &  
peridonea, & sanctæ cujusdam dulcedinis plena esse vi-  
detur.

Equidem, ut ajebat David ad Dominum: *Peregrini Paral. 29. Ps.*  
*sumus coram te & advena, sicut omnes Patres nostri. Quos ni-* 38.  
*mirum observat Apostolus, etiam in terra repromissionis de-* Heb. 11.  
*monatos tanquam in aliena, in casulis (aut tentorijs) habitan-*  
*do: expectantes fundamenta habentem civitatem; & confi-*  
*tentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. In quem*  
*etiam sensum discipulos suos Salvator ajebat quidem in* Joann. 17.  
*mundo esse, attamen non esse de mundo: quod nempe in*  
*mundo,*

mundo, tanquam in alieno demorarentur, neque mundi legibus aut moribus viverent; sed (quod de se quoque Paulus testatur) *in carne ambulantes, non secundum carnem militarent.* Quamobrem graviter admonet & obsecrat nos B. Petrus: *tanquam advenas & peregrinos abstinere nos à carnalibus desiderijs: ne scilicet sæculi cupiditatibus occupati, amemus exilium nostrum, & tanquam mundi cives effecti, patriæ cœlestis obliviscamur.*

Dupliciter quippe peregrini esse possumus in hoc mundo, necessitate primùm, tum etiam voluntate. Et quidem quod ad prius attinet, ipsâ naturæ conditione, volentes nolentes, peregrini sumus in vita: *commorandi enim* (ut ait De Senect. Romanus Orator) *natura diversorium nobis, non habitandi dedit:* aut, ut excelsiori fortiori que voce Propheta regius: *dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora.*

Veruntamen hi soli in Christi latere ac corde sepulturam inveniunt, qui sese re ipsâ pro advenis & peregrinis habentes, locum exilij in quem projecti sunt, hoc est, mundum istum, non diligunt, sed sui hujus incolatus moras sentientes ac deplorantes, ab his visibilibus, quoad possunt, se abstrahunt, solo cœlestium desiderio occupati, atque suspensi; atque illud Pauli mente & actione tenentes: *nostra conversatio, seu* (ut olim legebat Tertullianus) *nostræ mansio, in cœlis est.*

Talibus igitur peregrinis, mysticâ quadam ratione, sepulturæ locus destinatus est apertum latus Salvatoris, in quo ipsi sibi ac mundo mortui securè quiescant; in isto fœdero tabernaculo divini cordis absconditi à conturbatione hominum, & protecti à contradictione linguarum. Nam eum naturaliter mors prior sit quàm sepultura, prius de perfecta sui mortificatione peregrinus noster, quàm de felice illa in Christi corde sepultura cogitet; nempe, ut (quod ait B. Gregorius) *extinctus mundo lateat, & à cunctis rerum*

petitur.

perturbationibus, intra sinum sese divini amoris abscondat. uti in sepulchro videlicet: quippe, ut rursus indicabimus inferius, contemplationem intimam idem Gregorius quasi sepulchrum esse ait, in quo mens mundo crucifixa quiescit.

De quorum numero sanctorum peregrinorum, inter alios fuisse video P. Bernardum Colnago nostrum; qui ad illa foramina divinæ petrae, ad illam cavernam maceriae Lat. Vit. c. 12. continuo anhelans, atque suspirans: *Nam in hac (ajebat) felici latebra, si vivere detur; quod præstantius palatium optare possim ad habitandum? Quòd si mori contingat, quam nobiliorem invenire sepulturam?*

## §. 2.

*Quis censendus sit mundo crucifixus, mundo mortuus, mundo sepultus.*

**A** Pud mellissuum Bernardum sermo quidam habetur hoc serm. 7. in Quadr. titulo: *De peregrino, mortuo, & crucifixo.* In quibus hanc ille graduum differentiam ordinemque constituit: ut in primo & infimo gradu sit is, qui peregrinus in mundo dicitur. Peregrinus quippe, etsi rebus loci quæ transit non sic inhæreat, ut obliviscatur patriæ ad quam contendit: attamen subinde eorum quæ istic geruntur aliquâ pulsatur curiositate, atque ut ijs non implicetur, detinetur tamen. At qui jam in altero gradu est, magis alienus est ab actibus sæculi. *Mortuus enim* (inquit S. Bernardus) *æquè blanda hujus sæculi, sicut aspera spernit*: neque ullâ rerum istarum cupiditate, neque verò etiam sensu tangitur. Veruntamen qui potest cum Paulo dicere: *Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo*: is adeò rerum quas mundus amat, affectu non ducitur; ut eas etiam proflus oderit, & velut crucem abominetur. In hunc enim sensum Apostoli verba interpretatur S. Bernardus: *Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt; delectatio*



lectatio carnis, honores, divitiae, vana hominum laudes: quae verò mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhaere, illa toto complector affectu. Quare hic supremus abscissionis à mundo, & (uti loquimur) abrenunciationis gradus esse videtur. Ita ferè Bernardus, & ad scopum suum prorsus accommodatè.

Sed tamen possumus in rem praesentem, omisso tantum per peregrino, tres etiam gradus secessionis à mundo paulatim aliter constituere, ut nimirum ipso naturae ordine servato, primus gradus sit mundo crucifigi: secundus, mundo mori: tertius, mundo sepeliri.

Siquidem qui mundo duntaxat crucifixus est, tamen quae mundi sunt non diligit, oderit potius; facere tamen non potest, quin ea quae sunt mundi quandoque sentiat, & eorum quae circa se gerantur, sive ea adversa, seu prospera sint, imaginibus tangatur. Ut proinde cui mors omnium rei cuiusvis sensum abstulit, magis extra mundum positus, & longius à mundi affectibus secretus esse videatur. Atamen nec prorsus mundo excessisse putandus est, qui quantum, ut mortuus, ista non videt, videtur tamen; & etiamnum super terram positus, detinet adhuc hominum oculos, & mundi de se cogitationibus affectionibusque obiectatur.

l. 5. mor. c. 2. Ita enim (ut ait B. Gregorius) qui jam mundum non amat, sed tamen ab illo vel non volens amatur, etsi ipse velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhuc non mortuus videt. Restat igitur, ut is sepeliatur denique, ut semotus etiam ab hominum sensibus tractatibusve, nullum prorsus cum mundo commercium habeat, & perinde acsi nunquam fuisset, ex hominum etiam mente & cogitatione deleatur.

l. 2. mirac. c. 29. Quà ratione Petrus Cluniacensis Abbas, cognomento Venerabilis, de quodam Converso Carthusiano loquens: Hic (inquit) toto studio obedientiae, humilitati, mortificationi omni quam poterat operam adhibens, mundum sibi, seque mundo, non

tantum crucifixent, sed etiam sepelierat. Nec dissimiliter Abbas Moyses in vitis Patrum; qui interrogatus, quomodo aut quatenus possit se homo mortificare; in hunc modum respondit: *Nisi quis arbitratus fuerit, se habere jam triennium in sepulchro, ad hunc sermonem pervenire non potest.* Quasi diceret: ut quis ad perfectam sui mortificationem pervenisse censeatur, ita sese habere debere, ut perinde ac si pridem mortuus atq; sepultus esset, nihil jam cum mundo commune habeat, adeoq; nec ipse de mundo, nec mundus de illo cogitet, sitq; (quod de se dicebat Propheta) *oblivioni datus, tanquam mortuus à corde.*

L. 7. c. 26.

Psal. 30.

Quo modo qui affectus fuerit; ut videlicet se mundo, mundumq; sibi crucifigens, quæcunq; mundi sunt, oderit atque aversetur; rursúmq; se mundo, ac mundum sibi ita sepelierit, ut neque jam ipse mundum sentiat, nec sentiatúr à mundo; aut sanè sicuti omnem rerum sæculi cogitationem deposuit, ita nec de se cogitari, aut ullam sui rationem haberi, aut cujusquam animum in se occupari, æquo animo patiatúr: hunc ego profectò in Christi latere, in ipso Christi corde ac visceribus profundè tumulatum existimem, atque ex eorum esse numero, quibus convenit illud Pauli: *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in DEO.* Ep. 2. ad S. 91. Et illud Paulini: *In celo sepelisti vitam tuam, quam in Christo abscondisti.*

Col. 3.

Ep. 2. ad S. 91.

Ad extremum vide, an non ad hunc apicem ac sublimitatem Christianæ virtutis evaserat, Theophorus ille, & Christi Jesu ac passionum ejus ardentissimus amator S. Ignatius; dum Romanis scribens, & inexplebile pro Christo patriendi desiderium ostentans, eò devenit denique, ut ardentè optet, nihil sui in mundo restare post obitum; sed corpus suum omne in leonum ventre sepeliri: siquidem tunc (inquit) *fidelis esse potero, cum mundo non apparuero.* Sed delectat hominis incomparabilis, quibus hunc suum affectum

Z z z

cum

ctum exprimit, verba pluscula ponere. Cùm enim pluribus id à Romanis contenderet, ne intempestivâ quâdam benevolentia niterentur, impedire passionem ipsius, illamque interposuisset celeberrimam vocem: *Fruentum Christi sum; dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar; ita proximè subdit: Immò blanditijs demulcere potius feram, ut mihi sepulchrum fiant, ut nihil de corpore meo relinquatur; ne cùm obdormiero, molestus cuiquam inveniar. Tunc ero verus JESU Christi discipulus, cùm mundus nec corpus meum viderit.* Hæc ille.

Quæ quidem quàm longè dissident ab consuetis votis ac studijs filiorum Adæ: quorum ea tam anxia cura est, ut quodammodo sibi ipsis etiam post fata superstitis, in ore vivant aut memoria mortalium, idq; unum præsertim tot laboribus tam operosè & miserè moliuntur.

Sed ista scilicet sanctorum peregrinorum, in Christi latere altè sepulcorum, Philosophia est, de intimo corde Christi despecti atque despreti hausta, & (ut ita loquar) de ipsis Crucifixi medullis deprompta; adeoq; non tantum ignota mundo, sed nec vulgo eorum, qui se spirituales præfiteantur, satis agnita.

## §. 3.

*Quanta quies sit & pax anima, in latere Christi Crucifixi sepulta.*

*cap: 3. & 10.* Sanctus Job oppressus doloribus, & loquens in amaritudine animæ suæ, ad malorum suorum acerbiteriam demonstrandam, non uno loco optabat fuisse quasi non esse, & de matris utero fuisse translatus ad tumulum, in quo subductus humanis oculis, malorum immunis requiesceret. *Nunc enim (inquit cap: 3.) dormiens silerem, & somno meo requiescerem: cum regibus & consulibus terræ, qui adificiant sibi solitudines.* Hoc est: qui in locis solitarijs atq; desertis magnifica

gnifica sibi Mausolea excitant, aut etiam in excisis rupium petris, curioso opere ac sumptuoso, monumenta sibi elaborant; ut ille Sobna Præpositus templi; de quo Isaias cap: 22.

Felix anima, quæ crucifixa mundo, sibiq; ac suis cupiditatibus planè mortua, sepulturam sibi invenit in corde Christi derelicti prorsus ac desolati, quod idcirco meritò locum appelles vastæ solitudinis; in illa spelunca divine Petræ, quam animæ in terris peregrinanti in sepulcri vicem & locum quietis diligenter excidit & adornavit divinus amor: ut hic quoque valeat illud Isaiæ: *Et erit sepulchrum, ejus gloriosum.* Gloriosum verò; sed non dulce minus & amabile; quippe quod quieti suavissimæ, & dulci sopori divinæ contemplationis est destinatum. Ibi enim verò *dormiens silet* contemplatrix anima: quia altum profectò arcanumq; silentium est, ubi desideriorum temporalium cessante tumultu, omniq; strepitu superfluarum curarum, tranquilla mens uni intendit dilecto, & cæteris mortua, illi soli vivit, intra cujus sinum per intimam contemplationem absconditur. Ut enim S. Gregorius: *Mortui in sepulchro abscondimur, cum mortificati exterius, in secreto interna contemplationis celamur.* Ibi *somno suo requiescit*: quia dulcis quidam somnus animæ, divina contemplatio est: quo capta & velut absorpta, obliviscitur omnium quæ foris sunt, & neque se ipsam jam sentiens, sopore quodam extatico, in amoris divini sinu placidissimè acquiescit.

Ibi (quod etiam ait S. Job) *non audit vocem exactoris*: quippe quæ mundo nihil debeat, quem pridem res suas sibi habere jussit; atque ex Apostoli monito, nemini quidquam se debere sentiat, nisi ut eum in Christo diligat, atq; (quod re ipsa omni ope connititur) eundem secum in Christi visceribus inveniat.

In ea igitur solitudine divini cordis, in isto sepulchro internæ contemplationis, conquiescit ac dormit suavissimè pere-

Isai. 11.

1.5. mor: c. 3.

Rom: 13.

peregrina nostra, felix, læta, secunda, imperturbabilis. Ut quæ jam non modò nihil eorum quæ mundi sunt desideret, sed neque ipsa cœli gaudia beatamque DEI contemplationem nimis anxie requirat: certa, quidquid ad se pertineat dilecto suo curæ esse; contenta interim ipso corde Christi crucifixi, in quo & paradysum, & cœlum, & DEUM inveniat, beatâ quadam imitatione & prægustatione consummantia in cœlo felicitatis. Ut proinde sanctâ quâdam dulcedine ebria, illas sibi Prophetæ voces usurpet: *In pace in id ipsum*

*Ps. 4.* *dormiam & requiescam.* Quarum etiam vocum suavitate captus, in suâ ad DEUM conversionis exordijs S. Augustinus exclamabat (ut ipse loquitur) *clamore alto cordis sui: ô in pace! ô in id ipsum! ô quid dixit, obdormiã & somnum capiam!*

*l. 9. confess.* *5. 4.* Ad extremum observo, quiddam his affine inveniri apud B. Justinianum in triumphali Christi agone cap. 11. ubi & ipse ad locum Matthæi 23. aspiciens: *Qui sunt* (inquit) *peregrini hi, pro quorum sepultura, pretio sanguinis, figuntur ager? Peregrinos illos utique dixerim, qui hujus vite veniunt blandimenta, qui in hoc mundo, amando nihil possident, &c.* Horum verò peregrinorum (subdit) *spiritualis sepultura, pax est, & mentis tranquillitas. Qui talis est, frequenter se ab hominum occultat tumultibus, seque in cordis sui (adde tu, & cordis Christi) secreto, tanquam in sepulchro collocat, quatenus liberius etiam per contemplationis studium DEO vacare liceat.* Addit: *De hoc sepulchro legitur sic: In-*

*Job 5.* *gredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Ad quæ nimirum Jobi verba rursum B.

*l. 6. Mor. c.* *27.* Gregorius: *Quid enim sepulchri nomine, nisi contemplativa vita signatur: qua nos quasi ab hoc mundo mortuos sepeliamus, dum à terrenis desiderijs susceptos in intimis abscondit? Ab exteriori quippe vita mortui, etiam sepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO. Sic ibi.*

## CAPVT XXI.

*De Christi crucifixi vulneribus crebrò salutandis,  
amanterq; disuaviandis.*

## §. I.

*Exercitiij propositi multa ac parabiles opportunitates.*

Utræ etiam sit pio ascetæ, ad sanctos affectus in se gignendos nutriendosve, rosea ac melliflua Christi crucifixi vulnera, crebrâ salutatione ac dulcibus osculis per certa temporum intervalla venerari. Ut enim omittam, eo pacto fidem, religionem, aliarumq; complurium virtutum actus exerceri; nominatimq; (ut ex antedictis colligi licet) hæc salutis nostræ chara pignora complectenti, eximiam quandam animo ingenerari fiduciam: constat certè eo exercitio, homini non prorsus obdurato, commoveri cor ac mollescere, atque ad amorem divinæ bonitatis accendi; idq; etiam subinde vehementius, quàm si longâ aliquâ commentatione, divina erga se beneficia, atque infinitam charitatem esset commeditatus.

Nec verò aliud sunt (si rectè attendimus) Christi crucifixi aperta vulnera, quàm totidem quasi divini cordis spiramenta, quibus erumpens sese prodat, exundans illius erga nos amor, & ardor exæstivans inclusæ in Christi visceribus inflammatissimæ charitatis. Quæ proinde qui devotè tractare, religiosèq; exosculari, & non ori tantum, sed & cordi suo admovere consueverit; eum exinde calore concepto, principio corde inflammari, tum sensim amoris suavitate colliquescere necesse est; postremò (quomodo piæ quædam tabellæ S. Franciscum in crucis complexu amore languentem nobis exhibent) subinde vi sancti languoris à semetipso deficere, & in Christum ipsum quodammodo resolvi.

Incre-

Incredibilis quippe Christi amatori subnascitur, eo in prædulci officio suavitas; sive ista beata vulnera, hæc inquam divini in nos amoris chara pignora, complectenti, eadèmq; fidenter æterno Patri, velut certa humana reconciliationis sigilla ostendenti; sive præ affectûs teneritudine illas cœli rosas lacrymarum suarum rore respergenti, & Christi sanguini sanguinem cordis sui miscenti; sive curas omnes, ætus, timores, angores suos, ipsa etiam peccata sua (si quis eorum adhuc remorsus est) in apertum latus salvatoris, tanquam in abyssum divinæ misericordiæ, præcipienti; sive simili aliquâ ratione, circa melliflua Christi vulnera se exercenti.

Quàm igitur facilis est oblatis exercitij ratio; tam illud tibi familiare, mi Lector, atque in omnes usus promptum atque paratum habe. Et, si fortè tibi in via spiritus ambulanti (quæ misera est humanæ mentis instabilitas) torpor obrepit, obnubilatur mens, nauseat anima, arefcit spiritus, remittit ardor, languescit devotio; fac quod Moysi olim & Aaroni à Deo præceptum est: *Loquere ad Petram*, (hoc est, ad Christum, Apostolo interprete) & *illa dabit aquas*. Complectere, inquam, Dominum tuum crucifixum; piè appella sacra ejus vulnera; inexhaustos illos omnis boni & gratiæ fontes crebris osculis sollicita: & confestim egredientur aquæ largissimæ, aquæ devotionis, compactionis, consolationis, fluenta sanctarum lacrymarum; quibus, ut quodam rore cœli, irrigetur mons, revirescat cœritas, reflorescat animi devotio.

Hunc enim etiam salutaris hujus exercitationis usum, à B. Gertrude discimus: quæ si quando (ut assolet) ex hominum consortio ac consuetudine aliquo tædio afficeretur, repentè consurgens evolabat ad locum orationis, & præcipiente ad pedes Sponsi sui crucifixi: *Eecce* (ajebat) *Domine, nunc tædet me omnium creaturarum, & tui solius liber mihi frui cupio*.

Num: 20.

L. 3. c. 47.

confortio & alloquio. Ergo omni creatura valedicens, con-  
vertor ad te unicum & totum bonum, ac gaudium cordis & a-  
nima mea. Sicq; in Crucifixi amplexus blandè effusa, dis-  
suaviabatur quinque ejus vulnera rosea, adjectâ ad singulas  
ofculationes hac amicabile salutatione: Ave JESU Sponse  
floride, cum delectamento divinitatis tuae, ex affectu totius uni-  
versitatis salutans amplector te, & sic in vulnus amoris deoscu-  
lor te. Quâ quidem piâ ac familiari erga dilectum suum  
crucifixum exercitatione illud consequebatur, ut in illo dul-  
ci complexu, omne tædium suum per Domini vulnera tan-  
quam vaporatum & exudatum, ex animo amitteret, & pro  
amaritudine cordis liquidissimam spiritus suavitatem re-  
portaret.

§ 2

Formule quarundam aspirationum, ad presentem  
usum accommodatae.

ATaves fortassis cognoscere, in Christi vulneribus con-  
salutandis, quâ verborum formulâ præsertim utendum  
censeam. Ubi in primis dicendum existimo: unicuique se-  
quendum genium suum, aut quod ducit instinctus Spiritus  
sancti: quia id consueverit præ cæteris sapere, quod cuique  
suis suggerit affectus.

Quòd si præconceptis & conditis jam ab alio formulis  
potius juvandum te sentias, quæ scilicet semper in promptu  
sint, & quas quacunq; occasione de facili adhibere & usur-  
pare possis: eas, me autore, primùm peti licebit ex Blosio,  
harum rerum magistro probatissimo, qui operum suorum  
asceticorum locis varijs. plures ejusmodi aspirationum for-  
mas proponit, tam pias tamq; efficaces, satis ut appareat,  
non nisi ex pectore amore crucifixi prorsus incenso, eas pro-  
dure potuisse. Earum nonnullas ex usu erit huc adducere.

Is igitur in primis, in Preculis admodum pijs, endolo-  
gia

aa



gia 14. inter cætera sic JESUM alloquitur: *En saluta devotione quâ possum quinque præcipua vulnera tua. Salvete, salvete rosea, fulgentes & melliflua plaga Redemptoris mei, rogis mei. Salvete præclara sigilla reconciliationis & salutis meæ. Peto, ut in vobis commorer ac deliteſcam, atque ita ab omni malo ſecurus ſim.*

At in præclara ſua Inſtitutione ſpirituali cap. II. hæc habet: *Amplector brachijs anima mea venerandam crucem tuam, & eam pro tui honore atque amore oſculor. Saluta roſea ac ſuaviſſua vulnera tua, quæ ſuſcepisti pro me, & in quibus deſcripſiſti me. Salvete, ſalvete, ſalvete vernantes & ſalutifera plaga Domini mei, atque amatoris mei.*

Denique in exercitijs quotidianis tironis ſpiritualis: *Ecce prædilectæ, ecce vulnera tua roſea & ſuaviſſua: ego ſaluta & veneror illa. Salvete, ſalvete, ſalvete vernantes & ſalutifera plaga Domini mei. Salve benigniſſimum cor amatoris mei, pro me vulneratum: ſalve totius boni totiusq; beatitudinis amiſſiſſimum gazophylacium. Chriſte JESU, gratias tibi ago pro ipſis colendis vulneribus tuis. Eja, immerge me in illa, abſorbe me in eis, inſcribe & imprime illa cordi meo intus, ut in amore totus ardeam, ac medullitus tibi compatiar. Hæc ille: quæ aliâq; his ſimilia quæ in illo paſſim leguntur, ſi quis eo ſpiritu quo ſunt à ſuo autore conſcripta, crebro libenterq; uſurpaverit, fieri non poteſt, quin magnam ex illis utilitatem ac jucunditatem ſpiritualem percipiat, & in dies magis magisq; in Jeſu Chriſti crucifixi amore proficiat.*

Sed quoniam hæc ipſa quam commendamus exercitio bifariâ in uſum deduci poteſt: Primò ut ad omnes, aut ſingulas etiam Chriſti plagas, affectus idem eadẽq; ſolutatio generatim aut indiſtinctè adhibeatur; cujuſmodi ferè ſunt exempla jam à nobis poſita: Secundò (quæ ratio uſum præſertim habere poterit, cum inter orandum, aut in otio aliquo ſpirituali, huic exercitio moroſius placebit.)

insistere) ut nempe ad singula vulnera, propria & sua dicatur salus, & vel peculiaris habeatur gratia pro hoc illius beneficio, vel donum speciale postuletur, vel certum quidpiam offeratur, pro cuiusque vulneris aut cuiusque membri natura & conditione: hujus quoque generis exempla quaedam juvabit saltem indiguisse.

Ac primum nonnulla hujusce generis nobis suggerit S. Mechthildis. In primis enim cum die quadam Parasceves <sup>l. r. c. 24. &</sup> Crucifixi vulnera veneraretur & exoscularetur, divinitus est <sup>25.</sup> admonita: ut ad pedum plagas, affectus suos ac desideria, in illis deponeret, quod divinis Christi desiderijs adjuncta & temperata, puriora redderentur; ad vulnus dextræ manus, commendaret opera sua, ut operibus Christi conjuncta plenè restaurarentur; ad vulnus sinistræ, afflictiones suas, ut Christi passionibus admixtæ dulcescerent, & in solatium converterentur; demum ad cordis vulnus, amorem suum, amori Christi conjungeret, ut sicuti ferrum in ignem immissum, tanquam unum cum igne efficitur, ita amor ejus atque cor ejus, unum quodammodo fieret cum amore & corde Sponsi sui.

Eadem deinde in viso quodam à B. Virgine ad deosculanda filij sui vulnera (quem ipsa velut exanimem, ac de cruce modo depositum sinu gestabat) invitata, ab eadem ejus exercitij ritè obeundi, has præceptiones accepit: *Cordis tria oscula imprime, agendo illi gratias pro effluxu illo, quo ab aeterno in te, & in omnes electos effluxit, effluit, & effluet sine fine. Ad vulnus dextræ manus, in osculo gratias agas, quia ipsa est adjutrix & cooperatrix omnium bonorum tuorum. Ad sinistram verò, quia ad ipsam tutum refugium semper invenies. Vulnus autem dexeri pedis osculare, in gratiarum actionem, pro ferventi desiderio, quo omnibus diebus vite sue post te insi cucurrit. Sinistri autem pedis vulnus cum gratitudine osculeris,*

levis, quia ibi semper invenies remissionem omnium peccatorum. Plura hujusmodi apud eundem invenies.

Veruntamen omittere non possum, quin huc pertinetem Abbatis Lætiensis singulorum vulnerum salutationem, cum adjecta ad quodlibet osculum cœlestis cuiuspiam doni postulatione, unam inquam ex pluribus producam, ut eâ utatur, cui alia ad manum non fuerit ad ipsius sensum aut gustum magis accommodata. Sic igitur ille in Ignatio divini amoris.

*Humiliter, & quâ possum devotione (quod principium in cæteris quoque salutationibus adhibendum est) osculor roseum vulnus dextri pedis JESU: atque hic peto plenam veniam peccatorum meorum, ut Domino placeam.*

*Osculor roseum vulnus sinistri pedis JESU: atque hic peto veram perfectamque innocentiam, ut Domino placeam.*

*Osculor floridum vulnus dextre manus JESU, atque hic peto ornatum sanctarum virtutum, ut Domino placeam.*

*Osculor floridum vulnus sinistra manus JESU: atque hic peto internam illuminationem, ut Domino placeam.*

*Osculor amorosum vulnus sacri Lateris JESU: ô splendida Paradisi porta, ô conclave miræ fragrantie, ô fons totius suavitatis! saluto, veneror, & rursus osculor hoc vulnus mellissimum: atque hic peto inextinguibilem divinæ charitatis ardorem, ut Domino placeam.*

Tum endologiam ita concludit: *Utinam dulcis JESUS vulnere suo cordi meo inscribat! Utinam per illa me totum purificet, suisque amore prorsus accendat & inebriet! Utinam misericorditer concedat, ut in eisdem beatis vulneribus sanctè commoretur, & ab insidijs inimici semper securus sim! Amen.*

Huic consimilem salutandi postulandique formulam, harum rerum curiosus Lector inveniet apud eundem in exercitio piarum precationum, endologiâ 7. cujus solam clausulam appono:

Tu, Domine, in ipsis beatis vulneribus me include, & presta, ut ex eis verum tui amorem aeternamq; salutem hauriam. Scribe illa in corde meo, pretiosissimo sanguine tuo; ut in eis legam tuum dolorem pariter & amorem. Eorum memoria semper in conclavi pectoris mei permaneat: ut in me erga te, & dolor compassionis excitetur, & ardor dilectionis accendatur. Sit mihi omni tempore, ac precipue in hora mortis mee, certum in illis refugium, & protectio secunda.

## CAPUT XXII.

*Simili salutationis officio, etiam membra Christi sigillatim impertienda.*

**E**xercitium quod proposuimus, variandi gratia, transferri potest ad sacra membra Christi, illa vel seorsum, vel conjunctim cum Christi vulneribus consalutando, adorando, dissuaviando. Sic enim & tedium varietate levabitur, quod unitate solet obrepere, & variarum virtutum actus affectusq; exerceri poterunt, cum multo operæ pretio spirituali. Quapropter & hujus rationis specimen aliquod hic subijcere visum.

### §. I.

*Modus salutandi Christi membra ex S. Bernardo.*

**A**d calcem Operum S. Bernardi habes rhythmos quosdā pios ac dulces, eidem mellifluo Doctori attributos; quibus ille, pro pia animi sui teneritudine, sigillatim salutabat pedes, genua, manus, latus, pectus, cor, & deniq; faciem Salvatoris.

Et pedibus quidem affixus hæret, illorum vulnera exosculans, rogansq; , ne tanquam indignus, de sanctis illis pedibus repellatur. Tum verò genua prensat ac complectitur,

tur, tanquam aram misericordiae; manus ut tutelam ac praesidium suum, postulans per illas extremis in periculis, hoc est, praesertim in mortis hora, defendi.

At verò apertum Salvatoris latus, en quàm mellis carmine compellat:

*Salve Latus Salvatoris,  
In quo latet mel dulcoris,  
In quo patet vis amoris,  
Ex quo scatet fons cruoris,  
Qui corda lavat sordida.*

Et subinde: *Salve mitis apertura,  
De qua manat vena pura;  
Porta patens & profunda,  
Medela salutifera.*

Pòst ad ipsum Domini pectus oratione conversus; se-  
cutur illud, ut amoris domicilium, divinitatis sacrarium,  
Trinitatis sedem, latissimam charitatis aream, infirmorum  
requiem, humilium triclinium; optans in illud recipi, se  
eo inhabitare, & illius divinæ suavitatis, quam in eo reco-  
bans Joannes fuxit, particulam aliquam delibare.

Jam circa Christi cor amore ac dolore vulneratum, et  
multiplici aestuat affectu, ut amore ardet, contabescit do-  
lore, desiderans cor suum divino cordi sociari, isdemque  
cum illo vulneribus convulnerari.

Tandem in amabilissima Domini facie conquiscentes,  
desidet divinum illum verticem crudeli spinarum impressio-  
ne cruentatum, dulcem illum vultum ac venerabilem, mi-  
seris dehonestatum modis, & ex florida illa amoenitate in  
mortis pallorem conversum: bonum Jesum ad extremum  
obsecrans, ut (quod ipse quidem in summi muneris loco po-  
siturus sit) moribundum caput dignetur in sese reclinare,  
atque inter brachia & amplexus suos emori; ac demum ve-  
gruente morte, amabilissimam illam faciem, sibi benigne  
ac clementer ostendere.

Atque hæc de pijs S. Bernardi sensibus pauca libâsse, sufficit, tanquam ad salivam (quod ajunt) Lectori movendam. Nam ipse rhythmicæ preces longiores sunt, quàm ut hoc loco integræ referantur.

Attamen pergamus alia his paria exercitia adjungere, & piorum etiam eruditorumq; hominum exemplo, eam religionem affirmare.

Quanquam enim non defuturos existimem, qui id genus artes, aut sanè earum nonnullas, partim fortassis ut nimium anxias, aut angustâ quadam subtilitate laborantes, partim etiam ut minutiores, & femellarum (ut dicitantur) proprias, fastidiosè aspernentur: at nôrunt tamen piæ animæ, & amore Christi vulnerati faucibus, ex his qualiacunque sint, non modicum fructum emolumentumq; capere. Et admonendi sunt, qui secus affectos se sentiant; ne dum suo sensui plusculum tribuentes, piorum ejusmodi studiorum, aut contemptores aut incuriosi sunt, inopiâ spiritus, cordisq; sterilitate laborent; dùmq; (uti prætexunt) solidam duntaxat pietatem consecantur; aut nullam re ipsâ animi ad divina devotionem habeant, aut profectò non nisi aridam, & omnis succi pinguioris, divinorumq; sensuum expertem. Cæterùm per ista nulli legem scribimus; sed eò varia pietatis adminicula infirmitati nostræ proponimus, quò sequatur quisque quod animo suo allubuerit, aut quòd sibi magis ad internum spiritum nutriendum confoverit, profuturum existimabit.

§. 2.

*Alia ex Ludovico Blosio membrorum Christi crucifixi salutatio.*

**E**odem utilis esse potest omnium Crucifixi membrorum *Exerc. piar.* perquam suavis apud Blosium salutatio; *prec. endol.* *6.* quam partem appono.

*Adoro,*

Adoro, laudo, & glorifico te Domine JESU Christe, benedico & gratias ago tibi, fili DEI vivi; cujus membra dignissima pro mea salute nimium fuerunt afflicta: ego illa pro honore & amore saluto.

Salvete immaculati pedes Domini mei, pro me fatigati & clavis perforati.

Salvete venerabilia genua, pro me ad orationem flexa, & sepe lassata.

Salve floridissimum pectus, pro me livoribus & glaucoformatum.

Salve sacratissimum latus, pro me lancea confossum.

Salve amantissimum, benignissimum atque mellitissimum sor, pro me vulneratum.

Salve totius boni, totiusque beatitudinis incomparabile gazonophylacium. Eja, esto mihi in morte gratum umbraculum, & post mortem aeternum domicilium.

Deinceps autem simili ratione salutat membra reliqua, delicatas manus clavis transfixas, os & guttur suavissimum, felle & aceto potatum, aures contumelias oneratas, oculos lacrymis perfusos, &c. atque ad extremum ita precatur:

Amabilis JESU, sanctifica queso, per sacratissima membra tua, omnia membra mea; & dele omnes peccatorum maculas, quas ysdem membris meis abutendo unquam contraxi.

Quibus postremis verbis, & illum usum hujus exercitij insinuat, quem idem alibi magis expressè tradit, & videtur S. Mechtildi atque Gertrudi (quarum ille spiritum & sensum libenter imitatur in suis opusculis) familiarem fuisse: nempe Christi membra aut sensus salutantes aut deosculantes, id faciamus in emendationem atque emundationem eorum peccatorum, quæ eisdem membris aut sensibus nostris ipsi commisimus; simul ipsum Dominum obsecrantes, ut membra nostra suis membris sigillet, sensus nostros suis sensibus

Cimel. 5. 2.  
endol. 2.

sensibus consecret; quò jam nihil per illa, nisi ex ipsius spiritu, sive (ut plures híc loqui amant) Christiformiter operemur: prout jam pluribus explicatura est suprà cap: 14. hujus partis.

Eademq; mente existimo fuisse S. Bonaventuram; dum invitans nos ad introeundum per apertas vulnerum januas in ipsum Christum vulneratum, ita ait: *Nam p[re]mi- P. 1. Stim. ca*  
*mio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor suum. sibi etiã,*  
*voluit pedes & manus perforari, ut cum ad ipsum perveneris,*  
*sic tua manus intrent in suas, ac pedes tui in suos, ut sibi inse-*  
*parabiliter jungaris. Ex quo utique fiat, quod diceba-*  
*mus: ut quibus nimirum jam cor unum, ijdem quoq; sen-*  
*sus & affectus sint; & quibus pedes, manusve, aut membra*  
*alia intimè & inseparabiliter juncta sint, eodem spiritu*  
*incitentur ac moveantur ad opus: proindèq; omnes cogi-*  
*tationes, sensus, affectus, atque actus nostri, Christiformes*  
*sint & cruciformes; ea nimirum in nobis operante, ac suo*  
*spiritu sigillante, eo in quo vivimus, & qui vivit in nobis,*  
*Christo crucifixo Domino nostro.*

### CAPVT XXIII.

*Alia quadam præclara animæ circa Christi vul-*  
*nera occupatio.*

§. I.

*Exercitium circa Christi vulnera ex Nicolao Eschio*  
*desumptum.*

**F**loruit quondam in Belgio famâ virtutis & mysticæ  
sapientiæ peritiâ Nicolaus Eschius; is quo Petrus Ca- *Vit. c. 3.*  
nifius noster adhuc adolescens Magistro spiritûs ulus est Co-  
loniæ, & cujus pijs exercitijs Venerabilis Vidua Maria Rag-  
gia

B b b



gia familiariter usa esse, & multum profecisse fertur. In his Eschij exercitijs, exercitium est ordine septimum; quod ipse hoc titulo inscribit: *Exercitium cruciforme ad vulnera Christi JESU*: ubi pia ac præclara ratio traditur, tum expiandi vitia omnia (quod omnino præstari oportet; *antequam*, ut ipse loquitur, *in cor JESU ad unionem spiritus intrare permittaris*) tum acquirendi virtutes contrarias; sic ut & corpus & animam semper & ubique crucifigamus, *juxta exemplar Christi JESU, qui semper crucifixus vixit, & crucifixus ex hoc seculo migrare voluit.*

Ait igitur oportere nos ex illius anima & corpore reluti fugere, & in nos attrahere virtutes omnes, & præsertim has quinque nobilissimas.

*Prima* est vera humilitas: quam (inquit) portabis quasi in pedibus tuis; rogabisq; Dominum per vulnera sanctissimorum pedum suorum, & per maximam humilitatem suam quam semper exhibuit, ut tibi concedat in omnibus tam humilem existere, quam ejus gratissima voluntas à te exigat humilitatis suæ imitationem.

*Secunda* est vera sapientia: quam virtutem portabis in capite, imprimésq; caput tuum in transfixum caput JESU Christi; obsecrando eum per dolorem sanctissimi capitis sui, ut te suâ divinâ sapientiâ exornare velit, &c.

*Tertia* est vera charitas DEI. Hanc virtutem portabis in corde tuo; attendénsq; transfixum cor Jesu Christi; cor tuum in illud imprimés; obsecrabisq; eundem per amorem suum, & per humanum transfixum cor suum, ut per eadem largiri tibi dignetur perfectum sui amorem.

*Quarta* est vera justitia: quam portabis in manu tua dextera; attendénsq; dexteram JESU Christi, quomodo clavis affixa fuit cruci: obsecrans illum ferventer, per acerbissimam pœnam quam sustinuit in vulnere manus suæ dextræ, & per amorem, qui ipsum hanc sustinere coëgit, ut tibi

tibi dare dignetur veram justitiam in omnibus operibus tuis.

*Quinta* est vera animi fortitudo. Hanc virtutem potabis in sinistra manu tua; attendensq; sinistram manum Jesu Christi, ipsum obsecrabis per dolorem hujus vulneris sui; & per mirabilem fortitudinem, quam in omnibus adversitatibus suis exhibuit, ut veram tibi fortitudinem infundere dignetur, quanta tibi necessaria est, pro ejus summo honore, & tua salute.

*Et has virtutes omnes Domini nostri JESU Christi* (subdit idem author) *per totam vitam tuam ab ipso postulare, & tuo corpori & anime imprimere debes; conformando te in his virtutibus Domino DEO tuo pro te crucifixo, quantum tibi possibile fuerit; semper & ubique imaginem crucifixæ vitæ & mortis suæ, in ipsis quas prædiximus virtutibus, aut saltem in quinque illarum præcipuis, contemplando & imitando, tæq; in ejus cruce extendendo & crucifigendo: ita ut quocunq; te veritas, ad dexteram sive ad sinistram, semper unam ex virtutibus JESU, in ea quam tunc attendis, parte corporis tui videas collocatam, & tibi imitandam.*

Gratissimum enim est Sacrificium JESU Salvatori nostro pro nobis crucifixo, quando propter ipsum carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs nostris crucifigere discimus, & sic mori cum ipso non recusamus. Hæc ferè Elschius. Qui ad extremum & breves adjungit aptasq; precandi formulas, quibus tota hujus exercitij ratio familiarem ad usum redigatur. Itaque exempli gratiâ, ad pedum oscula admonet, hunc ferè in modum esse precandum.

*Gratias tibi ago, humillime JESU, pro incomprehensibili amore, & vulnere sanctorum pedum tuorum; similq; in ea proijcio me ipsum, & omnia peccata mea, præsertim omnem meam superbiam, vanam gloriam & arrogantiam, ut aboleantur & expientur pretioso sanguine tuo: obsecrans te per m-*

effabilem humilitatem tuam, ut eandem virtutem mihi largiri digneris; quò, per gratiam tuam, in cunctis deinceps sim vere humilis; atque in omni vita, & maxime in hora mortis, sit mihi certum in his sacris vulneribus refugium.

Et simili porrò precandi formâ uteris ad reliqua dictorum Christi membrorum, puta ad caput, agendo gratias Jesu sapientissimo, & petendo veram sapientiam: ad dulcissimum cor Domini Jesu, gratias agendo Jesu amantissimo, & proijciendo cor tuum in cor ejus, & petendo veram charitatem. Et ita de reliquis.

## §. 2.

*Alia quadam his affinia, ex Ioanne Thaulero deprompta.*

**J**oannes Thaulerus in epistolis suis duo quædam suggerit exercitia, ad propositos usus pertinentia.

Primum in epistola 26. ubi sic ferè loquitur:

Anima DEUM amans, eundem in illius vulneribus contemplari & osculari debet. Hæc enim Salvatoris nostri vulnera plus pulchritudinis, lætitiæ, claritatis toti conferunt cœlesti curiæ, quàm omnia alia, quæ in vita perenni, exceptâ Divinitate, habentur.

Primò igitur pius asceta magno cum desiderio osculabitur caput Jesu Christi. Per hoc quippe quandam accipit nobilitatem, & paternam hæreditatem cum Christo possidere dignus efficitur. Secundò, vulnus cordis contemplabitur & exosculabitur. Unde illi in divino amore, cunctisq; virtutibus fervidus profectus datur. Tertiò, vulnus dextræ manus. Inde ipsi redemptio, libertas, & gratia Dei præstatur abundè. Quartò, vulnus manus sinistræ. Inde scutum & protectionem adversus tentationes quaslibet reperit. Quintò, vulnus dextri pedis. Inde robur & virtutem cuncta pro DEI amore libenter perferendi suscipit. Sextò deni-

denique, vulnus pedis sinistri. Inde illi à DEO delectatio & affectus ad omnia studia spiritualia, cunctaq; virtutis opera præstatur.

Alterum in epistola 28. quod ipse appellat: *Exercitium per quinque vulnem Christi in ejus divinitatem transcendendi.* Nam cum compertum sit, per sacram Christi Humanitatem nobis ad ipsius Divinitatem transcendendum esse: ita commentatur pius hic Doctor, quasi in Christi vulneribus, totidem nobis viæ & tanquam semitæ apertæ sint, quibus non difficulter, in ipsam Divinitatem penetretur.

Itaque prima via, inquit, per vulnus sinistri pedis, est sitibunda nostræ sensualitatis, naturæ, ac inordinatæ naturalis delectationis mortificatio. Secunda, per vulnus dextri pedis, est fortis ac vehemens in DEUM penetratio, per omnia adversa, cum perseveranti gratiarum actione, & laude superessentialis doni, quod DEUS est. Tertia, per vulnus sinistræ manus, est actuum virtutum omnium exercitatio, in obedientia humili, & integrâ sui ipsius sub DEUM subjectione, in interna paupertate & inopiâ spiritûs, & perfectâ sui resignatione in tempore & æternitate. Quarta, per vulnus manûs dextræ, est abstracta, nuda, simplex, & expedita spiritûs paupertas, omnis (ut ait) imaginis seu formæ expers, cum amore essentiali, in purissimam divinæ simplicitatis nuditatem. Quinta, per vulnus cordis, est cum ignitis desiderijs & exercitationibus, per amorem actualem se consumere, & in amore essentiali liquefcere, & per fruitionem sine medio in caliginosum divinæ unitatis silentium sese immergere. Quibus quidem postremis ex mystica Theologia petitur, specialem illum & paucis concessum adumbrat, mysticæ (ut vocant) unionis complexû, quo mens hominis simplici intuitu, & nullo intercurrente phantasmate, divinam essentiam attingit, eidemq; quodam puri & quieti amoris contactu intimè & ineffabiliter adhærescit.

Qui

Qui quoniam (ut principio dixi) non tam ullius humane industriæ fructus est, quàm extraordinarium divini favoris privilegium; nostræ hîc erunt partes, primis illis vijs, omnimodæ nostrî abnegationi videlicet, forti hilariq; ad verforum patientiæ, perfectæ sub divinis nutibus voluntati nostræ subjectioni, aliarumq; potiùs solidarum virtutum actibus insistere, quàm de singularibus illis atq; extraordinarijs DEI muneribus laborare.

Cæterùm simili aliquâ ratione, ex Thauleri sensu, solers asceta, *per caelestes* (ut ait) *radiantium vulnerum portu, roto corde in D E I M nitetur, contendet, ac penetrabit.* Eademq; exercitij ratio (uti & illius quod ex Nicolao Elchio proposuimus) non transeunt tantùm aut defunctoriæ Crucifixi vulnerum salutationi osculationive serviet, sed hîc quæ ea quæ in recessu continet, ad usus suos evolvere atq; explicare noverit, variam quoque materiam etiam operosiorum commentationi suppeditabit.

Demum alia quædam hujusmodi depromi possunt ex Pharetra divini amoris Joannis Lanspergij Carthusiani; ut nominatim ex lib: 1. parte 5. & lib: 2. parte itidem 5. ubi etiam nonnulla habentur exercitia similia ad quinque vulnera Christi, tum variæ præsertim ad dulcissimum cor ejus aspirationes. Verùm quæ produximus, ad aliquam eorum, qui hæc desiderant, informationem sufficientem: & nos presentis occupationis, in actibus virtutum Theologicarum consistentis, finem respectamus, si priùs actus affective nonnullos, qui vel amoris adversus Crucifixum signa aut effectus sint, vel si aliquâ aliâ ratione subnexi, extremis hîc capitibus, ad quoddam tractationis complementum, subjunxerimus.

## CAPVT XXIV.

De pia compassionis affectu erga Christum patientem exercendo.

## §. I.

Exercitationem huiusmodi Christiano homini non esse negligendam.

Sinceræ atque intimæ erga patientem Redemptorem nostrum sympathiæ aut compassionis affectus, non potest illi non esse acceptissimus, ut qui indicium sit animæ bene compositæ, & si nondum Christum perfectè amantis, at saltem ad ejus amorem inclinatæ atque propensæ. Quapropter & istud officij sibi jucundissimum esse, ipse non semel revelare dignatus est; illudq; acceptare videtur, perinde atque si, inter dolores passionis suæ, ei quidpiam obtulisset solatij, aut inter eos re ipsâ fuisset, qui piâ quâdam condolentiâ præsentis ipsius cruciatus miserabantur: de quorum utique paucitate querentem audimus per Prophetam: *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.* Quemadmodum è contra absq; ullo doloris aut misericordiæ sensu acerbos Domini cruciatus recogitare, hominis est (ut mollissimè dicam) erga suavissimum Dominum, amantissimūq; Redemptorem, minus quàm par esset, propensi.

Securius certè pronunciat S. Bonaventura; eam animi duritiem, aut circa Christi passionem (ut ipse appellat) insensibilitatem eapropter inculans, quòd sit indicio, eum qui sic affectum se sentiat, aut Christi omnino non esse membrum, aut membrum profectò mortuum esse. *Si enim (inquit hic S. Doctor) non sentis dolorem capitis: quomodo es unum cum ipso? aut si membra mortua & insensibilia sumus; 4. & p. 2. c. quid?*

*Psal. 68.*

*P. 1. Stim. c.*

*4. & p. 2. c.*

*quid?*

quid restat, nisi ut de corpore excidamur? Etrursus: Cori videtur, quod, tanquam membra putrida, jam sumus excisi a capite nostro, quia ipso vulnerato, ejus vulnera non sentimus. Tum subdit exclamans: Heu! heu! Domine mi, quare me fecisti, si non debeo tibi esse conjunctus? aut, si tibi sum conjunctus, quare non sum tecum pariter vulneratus? Hæc Bonaventura: quod item argumentum paucis proponit S. Laurentius Justinianus, in lib: de casto connubio, cap. 23. extremo.

Ergo cujusque nostrum magni interest, istum teneris pietatis affectum in se persentiscere; aut si eum in nobis non experimur, ad eum nos identidem per Dominicæ passionis meditationem exercere.

Neque verò id erit difficile, amabilem Jesum paulò tantius contemplanti, aut inter immites carnificum manus densis conscissum vulneribus, suòq; innatantem sanguine; aut bajulantem sibi crucem, & sub indigno pondere milerè fatiscentem; aut suo jam suffixum patibulo, membrisq; in eo crudeliter distentis atq; distractis, inter summos angores expirantem; aut demum arbore infelici detractum, & in mortæ parentis gremio, exanimem, exanguem, lividum, vultu pallente, corpore lacero, dissoluto ac fluxo, jacentem.

*Orat. de De-*  
*à t. Filij.*

*Aff. 4.*

*Adv. Jude.*  
*c. 11.*

Nam si Gregorius ille Nyssenus, ad solum imaginis aspectum, in qua oculis subijciebatur præclarum Abrahami facinus, unigenitum suum dilectissimum, Deo ita jubenti sacrificare satagentis, sic intimis afficiebatur sensibus, sibi ut à fletu temperare non posset; uti ipse de se scriptum reliquit, atque in Nicæna 2. Synodo est annotatum; tamen hæc non nisi rudis & imperfecta erat adumbratio Christi, (prout loquitur Tertullianus) in victimam concessi à Patre: quid non in animo Christiani hominis efficiet. fideli commentationi subjectus, & vivâ imagine figuratus Dei Filius, vera illa & eximia hostia, non jam solâ animi destinatione, sed re ipsâ & cœde verissima, pèrque acerbissimos cruciatus,

in ara crucis, aeterno Patri nobis placando propitiandóque immolata. Ad quod tamen proderit observasse, quæ jam subiicimus.

## §. 2.

Nonnulla ad eum affectum in nobis excitandum  
adjumenta.

**Primum.** Ut in Christi cruciatibus commeditandis, studeamus eos, non velut pridem præteritos, eóque remotos à nostris sensibus, sed tanquam recentes atque præsentis, adeóque velut sub ipso aspectu nostro etiamnum positos, intueri. Sic enim ad sensus meditantis commovendos, & (quod nunc nominatim agimus) piæ compassionis affectum concipiendum, majorem vim habet mysterij propositi contemplatio. Quemadmodum etiam de S. Francisco, S. Birgitta, B. Angela, aliisque à nobis antea in loco memoratum, est: ex quo illis Christi crucifixi viva quædam atque expressa species est objecta divinitus, exinde eam assidue veluti præ oculis habuisse; eaque gratiâ nunquam sine lacrymis, Christi patientis recordari potuisse. Eamque subinde teneritatem, induit cor contemplantis, ut ad solam vocem aut nomen, passionis Dominicæ, illico vulneretur medullitus: veluti de anima Christum amante, scripsit loco citato S. Laurentius Justinianus: *Quoties in ipsius insonuerit auribus dilecti sui de casto concruciatu passionis & opprobria crucis, toties mucronis vulnere transfigitur doloris.* nub. c. 23.

**Secundum.** Proderit proinde ex forma alibi à nobis præscripta, eorum Christi amicorum, qui vel patienti ac morienti adfuerunt, vel mortuo obsecuti sunt, personas ac sensus in se transferre. Quo modo possumus, exempli causa, nunc juxta crucem cum DEI Matre, merore ac dolore confixi stare; nunc cum Magdalena ad crucem ipsam procumbere, complecti crucifixi pedes, & stillantis amoris gut-



tas studiosè colligere; nunc cum Josepho Arimathæo pueri  
comitibus, de ligno depositum condire unguentis, obvol-  
vere linteo, lacrymis respergere, ac denique mactis exequij  
luctuq; solenni cohonestare.

*L. liberorum  
ff. de his qui  
infam.*

Scio equidem olim cautum fuisse Lege Romanâ, ne  
cui suspendioso luctus consuetus adhiberetur; quod qui in-  
nesto illo, ac præ cæteris infami mortis genere puniti essent,  
eò viderentur supremis officijs, ac jure communis humani-  
tatis indigni. At de dulcissimo Domino ac Salvatore nos-  
stro, qui cum nulli culpæ affinis esset, solâ bonitate & amo-  
re nostri adductus, sibi crucis elegit infamiam, eòq; ab ip-  
sâ morte suâ redemerit, uti magis amari, ita magis lugeri  
dignus est, diviniior sanè Lex edicit: *Plangent eum plangitæ  
quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solent  
in morte primogeniti*: qui nimirum plangitæ ab ijs adhiben-  
dus videatur, qui Christi passionem recogitantes, inter-  
quâdam contemplatione (ut eum eadem Scriptura loquitur)  
aspiciunt ad eum, quem peccatis suis confixerunt.

*Zach. 12.*

*Tertium.* Eapropter & hoc adjungimus, non eorum  
tantum quos dixi, personas nobis in ea nostra contem-  
platione assumendas; sed nos ipsos quoque in persequendum  
ac crucifigentium turba, magno cum pudore atque horrore  
nostro, à nobis esse aspiciendos atque recognoscendos. Fel-  
lexeris siquidem, Christiane, si in hac sanguinolenta trago-  
dia, te ipsum ut nudum merumq; spectatorem consideras.  
Actor enim es, & cruentæ scenæ pars magna: ut qui per tua  
tua flagitia, in innocentem DEI unigenitum conjurata, in-  
trouissimam in mortem ipsum tradas, Judæorumq; linguis  
militum manibus, ipsum in diro patibulo suffigas. Vox illa  
tua est (si nescis) *crucifige, crucifige eum*. Vox tua, quâ Prae-  
sules illum damnavit, & supplicio crucis addixit. Facinus  
tuum sunt Christi vincula, flagrorum ictus, corporis livor,  
consertæ spinæ; clavi, lancea, crux, facinus tuum. *Ipse*  
Chri-

Christus JESUS in cruce pendens (horror est dicere) opus tuum est; opus amoris, & opus furoris; sed amoris tui, ô bone JESU, amoris tui, & furoris mei. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte dolorem tuum, & scelus ac facinus meum.

Hunc igitur in morem, non Christo duntaxat accepta, sed tibi quoque salutaris erit compassio, si ita lugeas ejus dolores, ut simul detesteris peccata tua, quæ primam illis ac fonticam causam præbuere; si admissa defleas, futura vires; si frigus tuum in Christo redamando incales; si vitæ tuæ torporem inertiamque plangas; si eadem ex causa, non tantum propria, sed aliena quoque, immò mundi totius peccata deplores, & vastam illam horrendamque tot iniquitatum abyssum, quæ factò impetu dulcissimum cor innocen-  
tissimi JESU irrupit, & violenter oppressit. Verè etenim, Domine mi JESU, intraverunt aquæ usque ad animam tuam; fluctus peccatorum nostrorum inundaverunt, tempestas demersit te; absorptus es, ut Jonas, & projectus in profundum in corde maris; abyssus malorum vallavit te, pelagus operuit caput tuum. Atqui ego peccavi, & tu plecteris; ego reus sum, & tu damnaris; ego nocens sum, & tu moreris. Verùm de hoc plura in exercitio satisfactionis.

*Quartum.* Ad eundem compassionis affectum in nobis excitandum, juvabit ipsum Dominum Salvatorem nostrum, tenerè atque intimè diligere: cum ita naturâ comparatum sit, ut si quid patiaris, quem amamus, illico nos subeat patientis miseratio, & quidam existat doloris consensus ac communio; quia videlicet amici mala, veluti nostra reputemus. Ut propterea Doctor Seraphicus, inter ea, quæ nos ad Christo compatiendum excitent, primo loco ponat, ut ei quis studeat uniri per ferventem amorem: *Siquis enim ei per amorem (inquit) bene unitus fuerit, compatieris eidem.* Et prout indicat Nicolaus Eschius in quodam exercitio,

Cccz

cicio,

Psal. 68.

Jon. 3.

P. 1. Stim. c.

2. 4.

*Exerc. 8.* citio; fidelis amator deberet ita uniri Christo, ut membrum, ut passionem Christi magis sentiat sibi presentem & inhiat, quam suam propriam passionem & afflictionem. Ex quo illa quoque existit non mediocri utilitas: ut nempe gemini isti affectus & naturali quasi cognatione sese inter se alant atque foveant, & mutuo consensu aut tanquam affricu sese invicem exsuscitent; cum amorem constet compassionem ex se parere; compassione autem confoveri amorem atque intendi. Quod etiam video observasse S. Bonaventuram in his verbis: *Quantò ferventiùs diliges eum, tantò magis sua compatieris passioni: & quantò plus ei compatieris, tantò plus erga eum thus accendetur affectus. Unde sic mutuo se augebunt dilectio & compassio.* Sic ille.

*Postremum.* Neque omittenda est illa præceptio. Ad hunc sanctum affectum obtinendum, pro magno munere tibi esse contendendum ab ipso Salvatore, ut vulneribus suis mentem tuam vulneret ac sauciet, & cordi tuo sensum aliquem, sive consensum dolorum suorum impertiat. Converteres te etiam ad beatissimam simulq; afflictissimam Dei Genitricem; eamq; studiosè rogabis, ut vel passionum filij sui pium sensum imprimat cordi tuo, vel guttam infundat illius Oceani amaritudinum, quo ejus anima sanctissima, in unigeniti passione, obruta atque absorpta est; secundum illud Threnorum 2. capite: *Magna est velut mare, contritio tua.* Idemq; precaberis dilectum Jesu discipulum, qui & ipse testis & confors extitit passionum ejus. Sic enim testatur B. Angela Fulginienfis; sese à DEI Matre Sanctòq; Joanne, per eos dolores, quos Christo patiente sustinuerunt, contendisse (& verò etiam quod contendebat impetrasse) sibi ut assidue liceret, propositam habere Passionis Christi memoriam, ejusq; dolorem perentiscere, aut saltem illius doloris (quem ipsa Virgo & S. Joannes experti fuere) participem esse.

Addit loco citato Nicolaus Eschius: rogandam ab unoquoque esse Dominum Jesum; ut se, per ardentem & resignatum spiritum, per patientem & mortificatam animam, per afflictum & excruciatum corpus, suae sanctissimae crucifixae humanitati perfectissime conformare dignetur; aut saltem aliquo continuo dolore corporali omni tempore monere, ut suae passionis nunquam obliviscatur.

Quò denique spectat & ardens illa S. Bonaventurae exhortatio, quam velut clausulam praesenti argumento appono: Nunc ergo charissimi, felle & absinthio atq; myrrha inebriemur; & solum ejus vulnere sentiamus: transfigant cordis nostri intima, ejus convitia, flagella & vulnera; nec in nobis sit, quod non perfundatur compassionis dolore, & affligatur intus. Adde nihilominus huic affinem sensum Henrici Sufonis, qui ex incenso desiderio membris suis omnibus quodammodo Christo compatiendi, ita eum precatur in quadam sua meditatione: Non sit, mi Domine, ullum corporis de passione mei membrum, quod non speciatim tuam mortem suo modo meretur, tuæq; passionis quandam similitudinem amabiliter praefereat, exhibeatq;. Sic illi.

## §. 3.

In quo concluduntur, quae de hoc exercitio dicta sunt.

EX dictis porro perspicitur potest; cum compassionem circa Domini cruciatum exercendam suademus, non sterilem aliquem à nobis commendari, inertem, otiosum mentis affectum, qui sensibili quadam (uti loquuntur) devotione, aut teneritudine cordis, & unâ fortassis alterâve lacrymullâ contentus sit, cujus exarescentis nullum insuper sit operæ pretium: sed fecundum, operosum, efficacem; qui cum serio atque germano Christi nostrâ causâ convulnerati & excruciatum amore, aliisque præclaris solidarum virtutum actibus, conjunctus sit: quarum utique studium, constat omni

P. 1. Stim. c.

4.

ser. 7.

mni illi mentis piè tenerescentis dulcedini, nimio plus esse antefendum.

Fluant igitur inter compatiendum Salvatori, fluant, scilicet (si Deus dederit) animæ mœrenti dulces lacrymæ quando & hæ Christo tam jucundæ sunt, ut velut sibi suæ ro-  
 l. 4. c. 26. stinguendæ, eas in patera aurea recolligere visus sit S. Gertrudi: sed tamen sic fluant, ut non ora solum piæ contemplatoris irrigent, sed intrò receptæ etiam terram cordis infundant, quò varia proferat sanctorum affectuum germina, atque efficacis pœnitentiæ, profundæ demissionis, hilaritatis patientiæ, aliarumq; ejusmodi virtutum actibus efflorescat, quarum equidem humilia exercitia bellè dicitabat S. Fructicus Salesius, notæ sanctitatis Gebennensis Episcopus, esse tanquam flores (puta hyacinthos, calthas, violas) ad terris pedem subnasci & erumpere solitos.

Introd. c. 44

Autor sermonum ad fratres de Eremito, sermone II. *Eorum sletuum imbribus debemus (ait) irrigare terram mentu-  
 stra, ut pariat fructus bonorum operum, diversosq; flores virtutum.* Qui dum deinde piæ ejusmodi contriti cordis lacrymam, vicariam appellat Passionis Christi; speciosa quidem nomenclatio, sed minùs est aperta sententia. Amen (veluti ea quæ adjungit, indicant) eo sensu videtur eam passionis Christi vicariam appellare; quòd instrumentum sit, quo pœnitenti applicatur ipsa mors, & passio Redemptoris; proindeq; toties representari & renovari videatur Dominicæ mortis mysterium, quoties quis à peccato resurgit, per pœnitentiæ lacrymarumq; remedium.

Nunc quoniam inter varias artes, quibus ipsa exercetur compassio, ea in cæteris Redemptori sapit jucundissimè, quæ maternos dolores, aut ipsum in matre condolentem, commiseramur; non est ista nobis prætermittenda industria: at quia de ea pluscula nobis tradenda sunt, et exercitio proximum caput attribuemus.

## CAPUT XXV.

*De commiseratione etiam Matris DEI, filio compatiens, suscipienda.*

§. I.

*Maternorum dolorum commiserationem Christo Domino acceptissimam esse.*

QVemadmodum Beatissimæ DEI Matri per jucundum est studium nostrum, cum in recogitandis filij sui cruciatibus sensu pietatis ac miserationis tangimur: ita vicissim ipsi filio acceptissimum est, si quis in maternis doloribus animo versandis occupetur, eiq; juxta crucem stanti, ac cum Unigenito suo patienti, pio consensu compatiatur. Quod ut confirmem, quiddam adjungo, quod primo aspectu mirum fortasse videbitur.

Siquidem in Vita B. Veronicæ de Binasco, ex Ordine *l. r. c. 9. a-*  
S. Augustini, Christus ei Virgini dixisse fertur: gratiosissimas equidem sibi esse lacrymas, ex pia passionis suæ meditatione manantes: attamen sibi gratiorem esse recogitationem ac sensum dolorum, quibus Deipara Virgo in ipsa Christi passione conflictata est; idq; propter suum adversus illam, inexplicabilem & incogitabilem amorem. Ubi tamen non deerit fortè, qui existimet (quod in rem nostram & ipsum valeret plurimum) hæc, quædam sermonis figuram, & quasi rei augendæ gratiam ita à Christo dicta esse, ut nempe duntaxat significare voluerit: summo se flagrare desiderio, ut Matris suæ dilectissimæ dolores (omni quidem sensu & opinione nostram majores) devoto studio commeditemur: nihil tamen causæ esse video, cur ipsa verborum proprietas relinquenda sit, cum & in rigore sermonis non uno sensu vera esse possint, si modò matrem, ejusve dolores, non-  
quo-

quomodocunque, aut per se solitariè spectemus, sed cum certo respectu ad filium, atque ad ipsam filij passionem.

22. q. 27. a.  
8.

Nam quemadmodum cum S. Thoma sentiunt communiter Theologi: diligere proximum propter DEUM, maioris esse excellentiæ & meriti, quàm tantum DEUM diligere, propter se ipsum, quia sic dilectio proximi includit etiam dilectionem DEI: ita dicere possumus in præsentem affectum erga dolores matris, filij respectu conceptum, Christo gratiorem jucundiorémq; esse, quàm si cruciatum ipsius filij solitariâ commiseratione tangamur; quòd ea pietas adversus matrem, insuper includat pietatem in filium: qui utique, cum vel uni ex minimis suâ causâ exhibitam misericordiam, perinde ac sibi impensam aspiciat; multò magis, quod in desolatam afflictissimamq; ejus parentem commiserationis ac velut solatij collatum sit, ad se pertinere existimabit.

de lam. B. V.

l. 1. c. 35.  
l. 6. c. 9.

Rursum, si ex S. Bernardi aliorumq; Doctorum sensu (quod item non semel B. Birgittæ revelatum accepimus) dolor ille, quem de matris luctu & dilectissimi cordis ejus angustijs, sympathiâ quadam percipiebat filius, excessisse prohibetur eum dolorem, quem de suis ipse vulneribus cruciatumq; caperet, ita ut (quæ verba sunt Arnaldi Carnotensis) *in matre amplius, quàm in se pati videretur*: consequens est, ut (quod ajunt) ex parte subjectæ materiæ, & cæteris partibus, gratius illi accidat studium nostrum, cum ipsi compatimur in matre, eumq; dolorem, quem ipse maximum atque acerbissimum expertus sit, benevolâ quâdam condolentiâ quodammodo quasi lenire ac mitigare conamur.

De Laudib.  
B. M.

Tandem ea est vis magni & ardentis amoris; ut qui alterum vehementer diligit, si quando utrumq; una involvat calamitas, illi potius quàm sibi succurri malit: præsertim ubi is amantis gratiâ in eam necessitatem incidit. Cum igitur optimus Redemptor parentem suam nimio pete

diligeret, & dolorum ejus magnitudinem perspectam haberet, iisq; illam intelligeret, suâ unius causâ atque amore, opprimi & quasi exanimari: potuit non immeritò, istud sibi debiti solacij, quod dolenti præstat piè condolentis affectus, in dulcissimam parentem suam quodammodo transferre, atque ut ei potius à nobis exhibeatur, expetere; atq; ita testari, id sibi gratius acceptiusq; esse.

## §. 2.

*Ad idem exercitium usurpandum propria quadam incitamenta.*

**H**Oc igitur *primum* ac princeps esto in rem præsentem incitamentum: id exercitij Filio Virginis Domino nostro summo perè placere, & si quem pietatis affectum in Matris dolentis solacium impenderimus, id omne tanquam sibi impensum, gratanter acceptum habere.

*Secundum*: Ipsam etiam Virginem DEI Matrem id ipsū à nobis studiosè expetere. Cujus utique illæ sunt voces ad S. Birgittam: *Respicio, si fortè sint aliqui, qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum: & valde paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum. Ideo, filia mea, licet à multis oblita & neglecta sim, tu tamen non obliviscaris me: vide dolorem meum, & imitare quantum potes. Considera dolorem meum & lacrymas, &c.* L. 2. c. 24.

*Tertium*: quòd id ipsum à nobis postulet magnitudo doloris ejus: quæ nempe & à filij sui nativitate (ut ipsa dicebat eidem S. Birgittæ) usque ad mortem ejus, tribulatione plena fuit; & filio suo moriente, in abyssum quandam amaritudinis immerfa est; uti ponderabitur paragrapho sequenti.

*Quartum*: quòd eo piæ mentis officio, gratus agnosceretur in amantissimam Matrem animus, increfceret amor, teneresceret cordis devotio, roborabitur fiducia, & multi-



*L. 6. c. 97.* plex ab ea præsidium in casibus duris, aut dubijs rebus accedet. Quemadmodum eadem S. Birgitta alio in loco refert sibi dixisse Christum: virum quendam magnum, sed multis implicatum criminibus, propterea quod Matris Dei doloribus piè compati consuesset, sub vitæ exitum, magni Deo cordis contritione donatum esse, atque ita salutis compendium invenisse.

Accedit denique, multis Sanctorum id exercitij sæpe quàm familiare fuisse. Atque, ut de altero sexu jam nihil dicam: in primis S. Gregorius, cujus esse fertur Planctus Virginis, cujus initium est, *Stabat Mater dolorosa* (uti antea monui) quantopere ea res sibi cordi esset, satis ostendit, dum tanto affectu contendit ab ipsa Dei Matre, & quasi pro summo dono flagitat, ut particeps factus doloris ejus, possit cum ea lugere, cum ea juxta crucem stare, eandemque in planctu sociare. Qualiter itidem B. Franciscum Borgiam, crebrò instantèrque ab Dei Matre petere solitum accepimus, ut illius gladij doloris, quo ejus anima sanctissima filio patiente transfixa & convulnerata est, sensum aliquem sibi impartiri dignaretur. At S. Ignatius Fundator ac Patriarcha noster, à prima suæ conversionis die, usque ad senium in pectore semper gestabat ad cor imaginem quandam Matris dolentis, ad crucis pedem confidentis, & doloris gladio transverberatæ; per illam se à Deo ubique miris modis abjutum testatus. Quæ quidem imago, in Collegio nostro Cesaraugustano, sub titulo S. MARIE à corde, religiosè altervatur & colitur; ejusque eçtypon non ita pridem, adscripto hoc ipso elogio, Romæ vulgatum. S. Bonaventura, uti suæ in filij dolores pietati testandæ atque fovendæ, Officium de Passione Domini; ita pro suo in Matris dolores religioso studio, Officium conscripsit de Compassione B. MARIE, quod videre licet parte 2. Opusculorum ejus. Idem in Stimulo divini amoris, tum alibi frequenter, tum præcipue parte

parte 1. cap: 3. tam suaviter ac tenerè agit de iisdem Virginis doloribus, eòq; in argumento tantà varietate piorum sensuum versatur; satis ut appareat, quàm eos crebrò seu mente revolveret, seu intimà animi compassione prosequeretur. Eandem dolorum Filij Matrisq; memoriam, quàm severà in semetipsum religione tueretur B. Henricus Suso, parte 2. c. 3. commemoravimus. Relegiq; possunt quæ ibidem cap. 13. diximus, de erecta jam olim locis varijs, in Marianorum dolorum memoriam ac cultum, pià fraternitate.

## §. 3.

*Quanta fuerit dolorum Deiparæ filio compatentis magnitudo.*

UT eorum dolorum acerbitas, quibus in filij passione Dei Mater concruciata atque oppressa, & tantùm non exanimata est, possit aliquousq; æstimari, duplex quasi mensura assumenda, & præ oculis habenda est; amor Matris, & dolores filij. Quorum ille quàm ingens, & supra quemcunq; omnium matrum amorem esset, ex eo licet colligere; quòd unigenitum in eruce pendentem, non tantùm ut filiù uteri sui aspiceret, & dilectum viscerum ac votorum suorù, sed tanquam Dominù ac DEUM suum divinà charitate complecteretur. Cùm & aliunde dolorum ejus immensitatem, & vi luminis divinitùs infusi elatissimè perspectam haberet, & eos vi nimix charitatis, consensu quodam in se transferret, ac filij mortem quodammodo suam faceret.

Ut proinde ipsa Beatissima Virgo, tribus verbis rem omnem complexa esse videatur, cùm de se dixit S. Birgittæ: *Dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.* Qui. L. 1. c. 35. bus congruenter etiam S. Bonaventura: *Ibi filius (inquit) p. 1. Stim. c. crucifigebatur cum matre, & propter mutuam & intensam dilectionem, ex compassione mutua erat nimia afflictio utriusque; & maximè cùm pro invicem paterentur. Unde passio filij, erat*

D d d 2.

passio

*passio matris.* Nimirum abyssus abyssum invocabat; donec assiduâ quadam amoris dolorisq; reciprocatione, cruciatus filij in matris cor ac pectus devolverentur, iidemq; rursum è corde matris instar fluctuum repercussorum non sine incremento in cor filij redundarent. Multiplici igitur amertudinis abyssò oppressum tunc fuit cor Virginis; ut jam non tam Maria esset, quàm Mara, hoc est amara: & se dolore fuscâ, & filij sanguine tanquàm decoloratam contemplan, dicere posset, quod ei tribuit Canticorum vetus interpretes apud Delrium: *Ego quidem similis sum pelli rubricate, quia per compassionem doloris tincta sum in sanguine filij mei.*

Cant. 1.

Quapropter ad eam Marianorum dolorum magnitudinem exactiùs declarandam, illud primùm licebit cum SS. Patribus dicere: tormenta omnia & cruciatus, quos in cruce pendens filius sustinuit in corpore, eosdem illam statem juxta crucem, quodam consensu passam esse in corde. Hoc enim in primis docent Ildefonsus, Sophronius, Bernardus & alij; qui addunt idcirco reginam martyrum, & plus quàm Martyrem fuisse. Quò etiam spectat illud B. Laurentij Justiniani: *Clarissimum passionis Christi speculum effigiatum erat cor Virginis, nec non & perfecta mortis imago. In illo agnoscebantur sputa, convitia, verbera, & Redemptoris vulnera.* Bonaventura autem, ad hujus maternæ compassionis energiam exprimendam, spectare videtur cor Virginis velut centrum quoddam, in quod filij dolores in unum collecti, & velut ad vim majorem conglobati sint. Ita enim ait Virginem alloquens: *Ejus vulnera (nimirum filij) per corpus ejus dispersa, sunt in tuo corde unita. Ibi, Domina, lanceatum est cor tuum; ibi spinis coronatum; ibi illusum, exprobratum, & contumelijs plenum, aceto & felle potatum. Qui proinde mox cor illud afflictissimum miserescens: O cor amoris* (exclamat) *cur conversum es in globum doloris?* Et infra:

De triumph.  
Chr. ago. c.  
21.P. 1. Stim.  
c. 3.

Cor

Cor tuum alienatum totum pro dolore, non erat in te, sed in afflictione filij, & in vuneribus unici, & in morte dilecti. Diferentissimè autem Richardus à S. Laurentio de Laudib. B. Mariæ: Tam devota coadjutrix extitit ad mundi redemptionem; L. 3. sub fin. ut sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, quem sustinuit filius pro mundi redemptione: sic non esset dolor, sicut dolor ille, quem ipsa sustinuit in corde pro eadem causa. Et B. Albertus Magnus in opere itidem de Laudibus MARIE: cum eam dixisset fuisse quasi rosam, rubricatam filij sanguine: *Quantum* L. 12. c. 4. enim (subdit) filius passus est corporaliter; tantum ipsa compassa est prae cordialiter. Itaque piissimum cor ejus (ut verbis Joannis Thauleri primam hanc rationem seu considerationem Expl. pass. c. 17. concludam) velut uva, praeulo crucis expressum est; adeo, ut cum filio suo potuerit dicere: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Accedit deinde ad eandem dolorum MARIE magnitudinem exaggerandam; quod, ex mente S. Damasceni: *quos* L. 4. de fide c. 15. in partu dolores effugerat, eos passionis tempore sustinuit; ut que maternâ compassione viscera sibi lacerari senserit. Eoque scilicet crudelius, quod ut philosophatur Rupertus Abbas: L. 13. in Ioann. ann. non modò Unigenitum suum, eumque jam sanguinolentum ac lacerum, iterum quasi parturierit; sed & nos omnes cum Unigenito simul utero suo concludens, omnium nostrum salutem pepererit.

Cumque id habeamus insuper ex ejusdem Damasceni sententiâ: sicut antequam ullo partus dolore afficeretur, peperit; ita etiam ipsus è vita discessum doloribus caruisse: illud pariter dicere licebit; eam in passione Unigeniti, non tantum dolores partus, sed etiam mortis angores, esse expertam; ut nimirum hi utriusque cruciatus, quibus ex speciali Dei dispensatione caruit, non ab ea absolutè sublatis, sed in hos acerbissimos atrocissimosque commutati esse videantur.

Quod

L. de excell.  
V. c. 5.

Quod quidem à nobis non temerè dictum agnosces, si attenderis, ex S. Anselmi aliorumq; Doctorum sententia: amantissimam Filij Unigeniti matrem, in eo temporis articulo, ijs fuisse angoribus oppressam, ut vi doloris extingui debuerit, nisi eam filij sui spiritus miro quodam modo intrinsecus corroborasset. Atque si nonnullis usuvenisse, compertum est, ut Servatoris nostri cruciatus insolitè quadam animi contentione recogitantes, amoris dolorisq; vehementià corde disrupto, extinguerentur: quanto id magis Dei parenti contingere potuit, quæ & unigenitum suum immenso plus diligeret, & passionum ejus cruentam tragediam, non mentis duntaxat imagine, sed ipsis oculis coram spectaret, & acerbitatem dolorum ejus, cum acutiùs perspiceret, tum etiam prudentiùs aestimaret.

Super Miss.  
ad g. 148.

L. 1. c. 35. &  
alibi.

In die An-  
nunc.

Postremò par fuit (ut ex hoc denique dolores Virginis aestimes) ut quæ, ex divina destinatione filij sui in mundo redimendo certà ratione cooperatrix existit; simul cum illo corde convulnerata, cum illo corde conerucifixæ, cum illo etiam corde commoriens, ipsos itidem dolores mortis pro nostri amore experiretur. Quam cogitationem hoc ego loco non attexerem, nisi eandem Dei Matrem, & à Richardo à S. Laurentio verbis suprâ laudatis, & à B. Alberto Magno, aliisq; non paucis, coadjutricem filij ad mundi redemptionem viderem appellatam; & tandem audirem apud S. Birgittam in hunc modum disertè loquentem: *Ego & filius meus redemimus mundum quasi cum uno corde.* Cui modo loquendi etiam adstipulantem invenio Theopneustam illum S. Catharinam Senensem, in oratione quadam, his verbis: *Christus redemit mundum suâ passione, Maria cum dolore corporis & anima.*

Quæ tamen ne quisquam secus atque oportet intelligat, & ansam exinde sumat errandi; disquirere placet hoc loco, quidnam hoc in genere ex mente sacrorum Doctorum

ipsi DEI Matri possit attribui: ex quo deinde proclive sit,  
quantum eâ causâ eidem debeamus, recognoscere.

## §. 4.

*Adduntur nonnulla ad majorem dictorum  
explicationem.*

**I**N primis prædictas aliasve similes loquendi formas, quibus sanctos Patres sacrosq; Doctores sæpius usos esse reperimus, nemo (opinor) sic accipiat; quasi DEI Mater, etiam cum filio suo, verè ac propriè mundi redemptrix extiterit: quippe cujus merita (præterquam quod vim omnem ac dignitatem suam, à filij meritis velut à radice acceperint) etiâ cum suo quocumque valore, condignum aut æquale pretium redemptioni mundi esse non potuerint; ut in scholâ demonstrant Theologi. Neque sic, quasi per matris dolores accessio aliqua aut adjectio facta sit, ad complendum pretium illud magnum, quo empti sumus ac redempti à filio: cum hujus merita, utpote valoris infiniti, abundè sufficerent ad copiosam & superabundantem redemptionem. Verùm prædictæ SS. Patrum locutiones aliquo ex his modis universè accipiendæ sunt: ut nimirum Deipara Virgo, sive ad majorem eum divina voluntate consensionem, sive ad expressiorem cum filio suo patiente similitudinem, sive ad contestandum hac in parte incredibilem suam erga humanû genus amorem, dolores suos cum Redemptoris cruciatibus conjunxerit, eosq; pariter (quantû in se erat) pro mundi redemptione obtulerit, seq; etiam ipsa quodâmodo pro nobis immolaverit; parata etiam nostrâ causâ crucifigi ac mori unâ cum filio, si id opus fuisset, aut ita Deo complacitû esset.

Ex quibus videtur triplex potissimûm haberi ratio, secundûm quam dicatur DEI Mater ad opus nostræ Redemptionis unâ cum filio convenisse: quarum unaquæque, uti ad ipsius Virginis gloriam, & nostrum omnium consolationem facit,

facit, ita sigillatim à nobis modò explicanda est, & aliq̄ pondere autoritatis stabilienda.

*Prima* igitur est: quòd Virgo beata cruentæ filij sui unigeniti immolationi pro salute nostra, libens assensu sit, atq; eo assensu eum quodâmodo pro nobis in mortem tradiderit; atq; eo pacto humano generi redimendo adlaboravit.

*Dist. 48. a.  
2. q. 2.*

*Etenim nullo modo est dubitandum* (inquit Doctor Seraphicus scribens in 1. sententiarum) *quin virilis ejus animi ratio constantissima vellet etiam tradere filium suum pro salute generis humani, ut mater per omnia conformis esset Patri.*

*Tract. 2. de  
Canticis.*

*de eadem loquens Joannes Gerson: Proprium filium suum, dilectum viscerum suorum consensit crucifigi pro redemptione nostri, dans nobis illum, utique cum gaudio & exultatione, qua summam superabant carnis angustiam.* Denique Richardus à

*L. 4. tit. Ma-  
rie dilectio.*

*S. Laurentio: Tunc enim* (inquit) *propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, dedit unigenitum pro scelere nostro, & fructum ventris sui pro peccatis animarum nostrarum.* Et infra: *unde securè dici potest & credi, quòd sicut dicitur de Patre (Joannis 3.) Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo; sic & dici potest de ea: sic MARIA dilexit mundum, hoc est peccatores, ut filium suum unigenitum daret pro salute mundi.* Quibus consonat Joannes Thaulerius

*Mich. 6.*

*apud Blosium in Explicatione passionis cap. 6. & 13.*

*Secunda:* quòd (ut dicebamus) ad mortem pro nobis unâ cum filio subeundam paratissima fuerit; immo ad hoc ipsum sese obtulerit, si qua id ratione ad opus humane redemptionis conferre posset.

Quod cæteris expressiùs tradit Arnoldus Carnotensis, Abbas Bonæ vallis, ad quem S. Bernardus sub mortem, postremam suam dictavit epistolam, & qui ejusdem S. Bernardi vitæ librum secundum scripsit. Is igitur sermone, de ultimis verbis Domini, de DEI Matre cruci adstante loquens *Optabat quidem ipsa* (inquit) *ad sanguinem animæ, & carnis*

*sua*

sua addere sanguinem, & elevatis in cruce manibus celebrare cum filio Sacrificium vespertinum, & cum Domino JESU corporali morte redemptionis nostra celebrare mysterium. Sed hoc solius summi Sacerdotis erat privilegium, ut de sanguine munus intra sancta inferret, nec poterat ei consors hæc esse cum aliquo dignitas, & in reparatione hominis, nulli angelo, nulli homini cum eo fuit aut esse potuit communis autoritas. Cooperebatur tamen plurimum secundum modum suum, ad propitiandum DEUM, ille Matris affectus. Hæc ibi. Quod autem ulterius sermone alio significat idem autor: fortassis existimasse B. Matrem, sua ipsa morte se aliquid publico muneri redemptionis addituram: rectè eo loco admonet Franciscus Titelmannus, piè intelligendum esse; non quasi putaverit filij mortem non sufficere sine sua, aut se posse in tanto opere filio suo quasi ex se insufficienti cooperari, sed tantum quod desiderabat se quoque impendere in idem opus, in quod filius se impendebat. Cæteroqui enim (quod non observat Titelmannus) verba illa non tam Arnoldi sunt, quàm Ambrosij in Lucæ caput 23. & alibi, ita scribentis: Aut forte quia cognoverat per filij mortem mundi redemptionem, aulæ regalis putabat se & suâ morte publico muneri aliquid addituram. Sed JESUS non egebat adjutore ad omnium redemptionem, qui dixit: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos Liber. Suscepit quidem matris affectum, sed non quaesivit hominis auxilium. Audiatur etiam Richardus à S. Laurentio loco supra citato: Tanta fuit MARIE charitas ad nos, ut quasi gaudenter quodammodo sustinuerit mortem filij, & cum ipso desideraverit, si necesse esset, mori ob redemptionem generis humani.

Tertia: Quod filio suo ex toto corde compatiendo, ejusq; dolores in se, quoad licuit, transferendo, & sanguinem cordis cum filij sanguine commiscendo, sese etiam re ipsâ, certâ ratione, pro nobis immolaverit, & in illa cordis

Eee

sua



fui cruce & patibulo spiritus, velut hostia viva, ex filii  
imitatione, pependerit.

*De Laudib. Mar.* Præclare enim hic Arnoldus Abbas: *Omnino tunc cum una Christi & Mariæ voluntas, unumq; holocaustum ambo pariter offerebant DEO; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.* Et alio in loco: *Nimirum in tabernaculo illo (in monte scilicet Calvariæ, velut in tabernaculo foederis) duos videres altaria: aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi. Christus carnem, MARIA immolabat animam. Quam loquendi figuram imitatum invenio Joannem Thaulerum, dum matrem dolorum his alloquitur, quæ pro clavula capitis appono: Hic videre erant duo altaria, Pari celesti ob excellentiam Sacrificij gratissima, alterum in filio tuo, alterum in te. Et quia in sacrificio sanguinem exterius cum filio fundere non potens, decoxisti atque absumpsisti illum intus ferventissimo amoris atq; doloris igne. Atque hoc pacto sacrificium tuum pro cunctis gratia filijs (quorum ipsa mater es) fecisti atque immolasti. Ita Thaulerus.*

*Expl. pass. c. 17.*

Ex quibus ad extremum conficiemus, quantum debemus amantissimæ DEI Matri; & quàm illa mercedè à nobis postulet, ut ei ex animo compatiamur: ut quæ dolores illos incredibiles, non tantùm Unigeniti gratiâ, sed nostri etiam causâ susceperit, seq; ipsa pro salute nostra (quantum in ea fuit) mente promptissimâ unâ cum filio, hic patiendo, illa compatiendo, divinæ justitiæ immolaverit. *Et in hoc (inquit S. Bonaventura loco citato ex primo sententiarum) miro modo debet laudari & amari, quòd placuit ei, quòd Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur. Et tantùm compassa est (subdit) ut si fieri potuisset, omnia tormenta quæ filius pertulit, ipsa multò libentius sustinisset.* Ita S. Doctor: pleraque eorum quæ hoc capite diximus, suo calculo confirmans.

## CAPVT XXVI.

Qui conveniat animam Christo patienti  
devotam, in ejus mysterij admiratione, eiq;  
cognatis affectibus, interdum  
exerceri.

## §. 1.

*Actus Admirationis.*

**S**I qua unquam res admiratione, immo stupore & ecstasi  
digna fuit, ea certè est, Christus patiens, Christus mo-  
riens, & passione ac morte suâ perficiens opus redemptio-  
nis nostræ. Hoc enim opus est, ad quod (vel ipso Paulo *Act: 13.*  
præunte) transferre liceat ea Habacuc Prophetæ verba: *Habac: 1.*  
*Aspicite in gentibus, & videte; admiramini, & obstupescite:*  
*quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum*  
*narrabitur.* Quod enim, amabo, est opus illud aded admi-  
ratione & stupore dignum; nisi quod intuemur DEI filium,  
Dominum Majestatis, & regem gloriæ, pro vilissimis man-  
cipijs, pro servis nequam, & infensissimis inimicis, Tertul-  
liani verbo, *in tantum humilitatis exhaustum;* ut ab ijs ipsis, *De Car: Chr:*  
quorum amore huc descenderit, vincula sustineat & oppro-  
bria, dolores & ignominiam, alapas & sputa, flagella & co-  
ronam spineam, clavos & crucem, vulnera & mortem?  
*Opus, quod nemo credet, cum narrabitur:* quia si humanis  
rationibus ista pensentur, & nisi vis major intellectum sibi  
subijciat; quàm rerum istarum vel suspicio longè est ab hu-  
mana mente, tam procul est earum fides à corde.

Enimverò (si rem, quatenus oportet, perpendimus)  
tanta est, tamq; incredibilis, ejus operis admirabilitas, ut  
omnem transcendat & exsuperet etiam Angelicam intelli-  
gen-

gentiam. Ut enim hoc dicam cujusdam exempli gratia: Si Deus supremum Angelorum, aut unum quemvis eorum numero, eâ gratiâ destinasset in terras, ut sub assumpti qualitercunq; hominis figurâ atque habitu, pro salute nostra procuranda, mortalium omnium injurijs ac ludibrijs obijceretur: obstupesceret, credo, ad factum insolens reliqua cœlestis militiæ multitudo; & nisi quoddam in illo beato statu, DEI voluntatem submissè reverentur in omnibus, tamen si facti naturam spectes, æmulatione aliqua scilicet, & nonnullo quoq; indignationis sensu tangerentur; quod infontem pro reo, sanctissimum pro impio, beatissimum pro infelicissimo, sublimem prorsus cœlestemq; naturam, pro terræ filio ac luto vili, ei subijceret indignitati. Quo igitur modo eos nunc affici oporteat, cum communem suum totiusq; universi procreatorem, Patrem, Dominum, Principem, à cujus immensa dignitate, sublimitate, excellentia sese infinito distare intelligunt, contuentur vermium vilissimorum ingratisimorumq; gratiâ, in eam dolorum, opprobriorum, ærumnarum abyssum esse devolutum.

Hujus adeo rei mysterium, tam ab omni mente, & quamvis acutâ ac perspicaci intelligendi vi remotum atque subductum est; ut sublimissimi quique Seraphinorum illud suspectent attoniti, & id, cujus modum & rationem fati capere & exprimere nequeant, solâ quodammodo admittitione venerentur.

*Isai. 6.*

Huc etenim illud referri potest, quod (teste S. Hieronymo) quidam Latinorum Interpretum, per duo Seraphim (quæ apud Isaiam clamabant alter ad alterum) *vetus & novum testamentum* dicunt adumbrari; & mirari ad invicem, quod *DEUS Sabaotb in forma DEI Patris positus, formam servi accepit, & humiliaverit se usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Cui cogitationi non absurdè hanc adjunxerimus: *Quemadmodum scilicet cœlestes illi Seraphini, divina natura*

turæ infinitatem, ineffabilemque; eminentiam contuentes; cum se ex immenso illo divinarum laudum pelago, cui immerfi sunt, ut ita loquar, evolvere non valeant, aut id etiã, quod de illo capiunt, liberè profari; assiduo clamore suum illud solemne congeminant: *Sanctus, sanctus, sanctus*; unã illã voce omnem complexi divinã naturã absolutionem: ita cum ad ipsum Christum conversi (cujus gloriam Joanne teste, eo loco vidit Isaias) ejus in forma servi humilitatem, abjectionem, exinanitionem contemplantur, & quò tandẽ nostrã vermium causã summa illa majestas, & ad quã indigna, quãmq; acerba, idq; solã suã bonitatis atque amoris incitatione, descenderit: non habent, opinor, quo portentum illud ineffabilis benignitatis celebrent ac prosequantur acroamate, nisi Amoris nomen iterent, iterentq; assidue, ad invicem exclamantes: *ô amor! ô amor! ô amor!* eãq; congeminatione magnam mysterij admirabilitatem, indicantes.

Quod ipsum subinde etiam in hac mortali vita usvenire legimus animabus sanctis, in penitiorem ejus mysterij contemplationem ingressis. Quas inter B. Magdalena de Pazzis; cum aliquando immensam Christi pro nobis Crucifixi charitatem profundius commentata esset; summã illius admiratione sic affecta est, ut sui vix potens, cum Crucifixi effigie, omnia ædium horti; spatia ultro citroq; concursans, nihil præterquã exclamaret: *ô amor! ô amor! ô amor!* atque ab obvijs Sodalibus, ut is amor ametur, contendere.

Subinde igitur simili aliquã ratione, ad aspectum Jesu crucifixi exerceri poterimus; ex ejus mysterij attentiori consideratione, Amorem, Amorem, Amorem congeminantes. Quæ quidem, tametsi id unum agas (uti hîc etiam observat P. Rodriguez) optima erit & multum utilis oratio. Possumus etiam, velut pro loci compositione, figura-

re animo, tanquam si ad Christi crucem in monte Calvario, cum DEI Matre & dilecto discipulo, adstemus; eorumque proinde habitum affectumque; observare, quos dubium non fit, etiam inter acerbissimos dolores, earum rerum quae tunc gererentur altâ contemplatione suspensos, eo spectaculo miraculôq; hæsisse attonitos: secundum quod Simon de-

L. 13. qui de passione.

Cassia, ad illa verba S. Joannis: *Stabant autem juxta crucem JESU, &c. Sed Mater ejus (inquit) mente plus quam oratio ferebatur in illum. Et quanquam pressa doloribus, per spiritus cordis aspectu contemplabatur illum, atque presentia & interna mysteria ejus, cum illuminandus esset mundus in splendoribus ejus.* Hæc illa spectabat videlicet, cum ea animi spectaculo perculsi admiratione, quam utique adferre atque inferre consueverit, rei magnæ atque insolentis præsens contemplatio. Neque diversus erat cœlestis illius aquilæ, Joannis inquam, eadem mysteria profundâ secum meditatione involventis, affectus. Cum ille fortassis retractaret animo, particulatimque expenderet, quod compendio Christum Nicodemo dixisse meminerat: *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Ubi vocula sic admirationi servit, & multas gravesque causas suggerit admirationis.

Jeann. 3.

*Sic enim, sic DEUS dilexit mundum, sic, inquam, sic, hoc est, usque ad summam & inauditam & incredibilem filij sui unigeniti deprecationem & exinanitionem. Sic, sic, hoc est, usque ad vincula, sputa, sannas, flagella; usque ad ludibrium coronæ spinæ; usque ad crucis patibulum; usque ad infamem & turpissimâ atque acerbissimam necem. Sic, sic, sic, DEUS dilexit mundum.* Ut jam sit, quod rursum exclamare libeat: *ô amor! ô amor! ô amor! O amor, qui de sinu Patris quodammodo detrahis unigenitum! ô amor, qui (secundum hominem loquor) Das sapientiam infatuas! ô amor, qui infirmum facis, omnipotentem!* Iterum hîc dicam: *si contra DEUM fortis fuisti, ô amor!*

Genes. 31.

quæ

quantò magis contra homines prevalebis? Et tamen cor nostrum caute durius, non liquefeit ad hoc incendium; & cum tot causas DEUM amandi habeamus, alià qualibet flammâ capi faciles, etiã fatuos ignes sequimur; & (quod novâ rursùm admiratione dignum est) ad ejus amorem, cui uni amando facti sumus, præduri ac flecti indociles, & tanquam sine sensu peristamus. Ut meritò dolens quisq; exclamet cum S. Bonaventura: *Undiq; me circumdat amor; & P. 2. Stim. c. 2.*  
nescio quid sit amor.

## §. 2.

*Admirationis fructus.*

AT neque exercitationem hujusmodi rem otiosam ac sterilem esse putes, aut fructu vacare temporis moram, quam ei tractandæ fortasse deputaveris: quin potiùs id opus existima, plenum esse non modò solatij, sed etiã compendij spiritualis. Siquidem in primis ea divinæ bonitatis admiratio, egregia quædam laus DEI est; quia non admiramur, nisi cujus summam eminentiam agnoscimus, ipsaq; nostrâ admiratione contestamur. Ut quod apud Agellium Musonius dixit Philosophus: *magnam laudem non abesse ab admiratione;* id convertere nobis liceat, & dicere: admirationem à magna laude non abesse; immo ipsam, magnam laudem esse. Etenim si nulla laus hac illustrior esse potest, quàm cum rem quampiam sic commendamus, ut dicamus esse prorsus admirabilem: ipsa profectò admiratio, magna laus erit; cum actus ipse admirandi, tacita quidem, sed efficacissima sit professio admirabilitatis. *l. 5. c. 1.*

Neque fallor, opinor, si dixerò: magnam eam laudem, quâ beatæ mentes divinam gloriam intermisso conatu concelebrant; in assidua ista (quam paulò antè memorabamus) sempiternæ naturæ, & incommutabilis pulchritudinis admiratione, magna ex parte consistere. *Hac namq; beatæ visio*

De discipl.  
monast.

*visio* (inquit in eam rem B. Laurentius Justinianus) & *visio*  
*nis admiratio, vita aeterna est.*

Rursum: ea ipsa divinae bonitatis, in Unigeniti praesertim passione ac morte relucens, admiratio, confestim amorem ejusdem bonitatis ingenerat, aut sanè conceptum partumve fovet, alit, intendit. Quid enim factu proclivius, quàm ut inflammati, ejus amore rapiamur; cujus praesentem atque incredibilem bonitatem, cum admiratione, contemplamur? Nam, ut de Beatissimis, claro divinitatis conspectu fruuntibus, ait quidam autor inter opera S. Augustini: *Admirantes diligunt, & diligentes admirantur; ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & suaviter in dilectione ferveat admiratio.*

Super Magnif. t. 9.

Atque ex his porro & isti subnascuntur affectus. Primum suavis quidam & intimus exultantis animi sensus, dum sese conspicit tantoperè à Deo amatum, & tanto proptio à Christo Jesu redemptum. Sic enim & S. Bonaventura parte 1. Stim: cap: 4. fines varios exercitationis circa Domini passionem exponens, considerationi ad compatiendum, subjungit considerationem ad admirandum, & huic considerationem ad exultandum. Uti etiam Henricus Harphius in sua Theologia mystica, magnitudini admirationis subnectit magnitudinem exultationis.

L. 3. c. 39.

Hinc etenim homini completur mens sancta dulcedine; neque mente tantum, sed quasi omnibus etiam membris sui corporis, exultat in Deum amore sui crucifixum, exclamans cum Rege Propheta: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Quae quidem est simul admirantis & admirando laudantis; simul (quod ajunt) medullitus intusque sensibus exultantis, oratio.

Psal. 34.

Ex quo etiam existunt festiva voces, gratiq; animi inamantissimum ac beneficentissimū Redemptorem indicantes, quales vel illae sunt in Apocalypsi, Sanctorum Deo & Agno

qui occisus est gratulantium, & omnem suam felicitatem, eis acceptam referentium: vel ejusdem Prophetæ in psalmis suis; ubi modò se ipsum & omnia interiora sua concitat ad benedicendum Dño, qui omnibus suis iniquitatibus propitiatus sit, vitam suam de interitu redemerit, & misericordiâ se coronârit ac cinxerit; modò alios advocat ad beneficiorum ab illo acceptorum conscientiam: *Venite* (inquiens) *Psal. 65.* *audite, & narrabo omnes qui timetis DEUM; quanta fecit Dominus anima mea;* modò quasi ad id ipse per sese non sufficiat, provocat res creatas omnes, ut DEUM quâ possunt, arte laudent, sibiq; ad ei pro tantis promeritis gratulandû, quasi vicariam aut subsidiariam operam præstent.

Hic est enim deniq; extremus ac potissimus istius exercitationis fructus: incensa nimirum atque insatiabilis, in animo tantam Christi charitatem admirantis ac deamantis, ipsum amantiſſimum Salvatorem, quibus poterit modis, laudandi extollendiq; cupiditas, ejusq; dulcem misericordiam, non in ista tantum mortali vita, sed multò maximè in beata illa & immortalis in æternum celebrandi. Cùmq; huic muneri, pro eo ac vellet, implendo, quidquid conetur, tamen impari se sentiat; circumspicit omnia, num quid alicunde subsidij sese offerat; invitâtq; proinde in ejus officij societatem cœlum & terram, nec Angelos modò hominésve, sed res universas, etiam insensibiles & inanimas; ut fiat denique quod scriptum est: *Et omnem creaturam quæ* *Apoc. 5.* *in calo est, & super terram, & quæ sunt in mari, & quæ in eo; omnes autèvi dicentes: Sediti in throno & Agno benedictio & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.*

De hoc portò affectu divinæ laudis, uti fructu quodam admirationi agnato, ad quandam materiæ præformationē, & quasi in antecessum hæc posuimus. Alioqui per se digna res est, cui plenius retractandæ ac regustandæ, novo hinc sumpto exordio, caput proprium attribuamus.



## CAPUT XXVII.

*Exercitium superiori affine: Gratiarum actio & vox Laudis.*

**D**uo hæc invicem jungimus, secuti Scripturam Iam 51. capite; eòq; , quia in re præfenti, pro accepto dono gratias agere, & donatorem ipsum ut beneficium ac beneficium laudare, paria sint, & quasi pro uno eodemq; reputentur.

## §. I.

*De eo exercitio aliquid præmissum generatim.*

**E**quidem, uti principio (hoc est, parte primâ extremâ) disputavimus; par esset, hominem Christianum, quantum fert vitæ mortalis conditio, redemptionis nostræ incomparabile beneficium noctes diésq; tractare animo, locumq; reputare; simulq; ipsi Redemptori assiduam pro gratiam habere atque referre. Ea quippe est ejus beneficii magnitudo, ut tamen si duntaxat ut semel exhibitum præteritumq; spectetur, ei tamen nos ipsos in omnia deinceps futura sæcula debeamus; & rursum ea est ejusdem semper vigentis, semperq; operosi perennitas, ut alijs alijsq; in horas ac momenta singula nos bonis donisq; cumulans, veluti perpetuò novum ac recens, ipsòq; usufructu suo semper crescens; novam semper ac novam, eòq; ipso perpetuam, à nobis gratiam postulare videatur. Ut proinde hic quoq; valeat, quod in simili causa Chrysofomus: *Non tam sepi respirare oportet, quam DEI* (dicamus nos, quàm Christi Domini ac Redemptoris nostri) *meminisse.*

Accedit; quòd cum, ex Angelici Doctoris recepta sententia, tria ordine quodam ad gratitudinem requirantur: primum, acceptum beneficium agnoscere; alterum, illud

22. q. 107.  
4. 2.

laudare, & gratias agere; postremum (prout facultas ac vires suppetent) facto ipso gratiam rependere; aliunde autē, sive ob immensam ipsius promeriti magnitudinem, sive ob personæ cui obstricti sumus infinitam excellentiā, nostrāque ex altero extremo vilitatem, inopiam, infirmitatem, nihil sit quod illi valeamus rependere, nisi cor amoris, & laudis, & gratiarum actionis plenissimum: jure utique à nobis postulat, ut de eo quod nobis suppetit, primo inquam & altero illo gratitudinis genere, postremum quod nobis deest (quoad ejus quidem fieri poterit) suppleamus; hoc est, ut crebrò ardentēq; repetitis, sinceris obstrictæ voluntatis affectibus, velut exili quodam tributo, totum quod sumus habemusve, Redemptoris ipsius beneficio tenere nos profiteamur; ac denique eam, de qua loquimur, gratiarum actionem, & vocem laudis, tanquam duo minuta de paupere nostro peculio, in afflictissimi pro nobis cordis Jesu (ut cum Thaulero illud appellat Blosius) gazophylacium, immittamus.

Quapropter cū commendatione, tum verò etiam imitatione dignum videtur eorum studium; qui nullam diei horam præterfluere, sibi ve elabi sinunt, quin (ad ipsum, opinor, sonum horarium) caput aliquod passionis Christi, brevi quadam animi reflexione, in memoriam revocent, simulq; modicā ad ipsum Jesum aspiratione, pro eo cruciatu ipsorum causā tolerato, gratias agant, promptūq; ad ejus obsequia animum, atque id fortassis quod eā horā tractant operis, ad ejus honorem atque gloriam offerant. Quam artem clarum est (quanquam ab homine exercitato, quasi puncto temporis peragi possit) ramen sive ad ipsum Salvatorem demerendum, sive ad opera quotidiana innocenter piēq; exigenda, hoc est, ad bene beatēq; vivendum, ipso suo genere conferre plurimū.

Sed quoniam neque hoc omnibus convenire videbi-

tur (varia quippe sunt hominum aut ingenia, aut studia) saltem consultum, enitendumq; erit unicuique, ut variis per diem occasionibus, puta cum inter vias fortè in Crucifixi signum aliquod incurrit, cum templum obvium, etiam obiter precandi causâ subit, cum manè aut vesperi ad statas preces vel conscientiam excutiendam se colligit, piâ aliquâ mentis aspiratione, Christo pro se passo gratias agat, & tenuè saltem debitæ laudis pensum referat. Tum verò illud addat insuper, ut ex intervallo, atque opportuno ad illud delecto tempore, in eo adversus bonum Jesum non ingrata mentis officio, operosius se accuratiusq; exerceat. Quam in rem nonnullas adscribo cogitationes meas; si quis eas fortè non indignas censeat, quas simili aliqua in exercitatione usurpet.

## §. 2.

*Priora monita ad usum presentis exercitij conducentia.*

*Primò* igitur, uti dicebam, idoneo aliquo tempore, sive quod statæ meditationi quotidie designatū habeas, sive alio extra ordinem assumpto, coram aliqua Christi patientis imagine, ad istud erga benignissimum Redemptorem non ingrata mentis obsequium, hunc ferè in modum exercebere.

Piæ commentationis argumentum sit Dominicæ passionis historia: cujus partes singulas, aut præcipua ejus capita ita percurras; ut, exempli causâ in illius quod primum occurrit, puta orationis in horto, agoniz, & sudoris sanguinei contemplatione tamdiu insistas, usque dum commoveri animo, & ad condolendum compatiendumq; Domino tuo inclinari te sentias. Tum verò in ipsos gratitudinis affectus effusus, laudabis & gratus agnosces immensam erga

te charitatem Domini tui, qui tuâ gratiâ tam incredibiles cruciatus, & hos nominatim dulcissimi sui cordis angores susceperit; gratias ei ages amantissimas pro tam singulari beneficio; eiq; cor tuum, ac promptum animum, ad similia pro ejus amore libenter sufferenda offeres.

Atque ubi hisce affectibus, quantum animi feret devotio, & (ut S. ait Bonaventura) *amoris sapor*, induleris: inde progredieris ad aliud atque aliud mysterium, in eorum singulis particulatim contemplandis tantisper (ut dictum est) insistens, atque pro clausula contemplationis, in jam memoratis affectibus, aut his similibus, pro mysterij diversitate, studiosius te exercens.

Videri possunt apud Blossum, atque subinde usurpari, nonnullæ (ut ipse appellat) *Doxologiae & gratiarum actiones*, *Scrin. spir. Sc.* quibus Dæi Filium, Jesum dulcissimum adorat, laudat, glorificat, eiq; sigillatim gratias agit, pro quovis ipsius labore, dolore, cruciatu, opprobrio, angustia, cruce ac morte, hoc est (ut ipse ait) pro universis miserationibus suavissimæ pietatis ejus: earum singulas iisdem verbis exordiens, atq; ad extremum piâ ac prædulci prece concludens, cum exigua quandoque juxta mysterij rationem diversitate,

Aliâs autem poteris non dissimiliter exerceri, non jam percurrendo Dominicæ passionis historiam, sed Christi in cruce pendentis (cujus effigiæ capropter præ oculis habeas) membra singula plagasve piâ meditatione lustrando: & quid in singulis passus sit Salvator morosè dispiciens, & pro singulorum cruciatuum acerbitate privatim ac propriè gratias agens, & quid te par esset eâ causâ facere aut pati cum animo tuo exquirens, ac denique dolores omnes, quos iisdem in membris te fortè experiri contigerit, in ejus beneficij recognitionem, & quandam velut repensationem offerens.

Quæ quidem exercitij ratio, quàm Christo grata sit, inde

*In tab. Stim.  
dis. amoris.*

L. 2. c. 14. inde collige; quòd S. Mechtildi aliquando manifestaverit eum qui ipsi gratias agit, pro membrorum in cruce dilectione, v. g. perinde facere, ac si ei plagas leni unguento unxisset; qui pro siti ardente, quam nostrâ causâ pertulit, perinde atque si optatum potum ipso in tempore præbuisset; & ita de alijs.

*Secundò:* Inter exercendum, veluti oppressus ipsâ beneficij magnitudine, subinde apud Clementissimum Jesum amanter excusabis virium tuarum imbecillitatem, & sensuum affectuumq; inopiam: quâ fiat, ut ne pro eo quidem ac velles, nedum pro eo ac res postulat, laudem ei dicere, gratésve rependere possis. Præclarum id quippe Deo quæ dignum præconij genus esse videtur: si, quia suprema illius Majestati, amori, beneficentiæ dignè celebrandæ, proferat imparem te sentias, id quasi pro omni laudatione proferre; apertè ingenuèq; confitens, illam sive divinæ ipsius naturæ, sive propensissimæ, ad se totam in nos profundendam indolis bonitatisq; excellentiam, omni (etiam angelicâ) eam laudandi facultate, voluntate, conatu, desiderio, immensum superiorem esse.

Cui interim tuæ egestati parte aliquâ sublevanda supplicandæ, tanquam impatientis desiderij æstu jactatus, sollicitabis res creatas omnes, & (prout capite superiori præmonuimus) eas velut in partem vocabis tam dulcis officij, ut quod ore unico minùs vales, id innumerabilibus totius naturæ linguis efficere coneris. Ideòq; cum psalte regiõ aut regijs illis fornacis Babylonicæ pueris, non ipsum tantum cælum & terram, maria & abyssos, montes & colles, Solem & Lunam, noctes & dies, aliâque ejusmodi advocabis; sed ipsas etiam volucres cæli, ac maris terræq; bestias ipsosq; adeo (Davidis exemplo) serpentes & dracones deferti. Habent quippe & hi linguam suam, quâ sui enarrant gloriam ac munificentiam Conditoris: ut hoc ipse Deus vol-

Pf. 148.  
Dom. 3.

Iut gratulabundus prædicet, per Isaiam dicens: *Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones.* *Isai. 43.*

Quo loco rursus mihi admonendus es: ut quando creatam naturam omnem, ad divinam illam laudationem, gratulationemq; provocas, & ad tua vota tanquam subsidiariam acceris; tu ei vicissim eam in presenti præstes operam, ut Christo mundi Redemptori, & totius universi Capiti, ipsius rerum universitatis nomine quandoq; gratuleris. Siquidem cum inter mortales, nimio plures reperiantur, qui Dominum Jesum mortem pro se passum ignorent, aut pro tam ingenti beneficio gratias agere contemnunt; cætera autem natura rerum, utpote bruta aut insensibilis, neque cor neque mentem habeat, quibus Dominum suum, ac Principem amare aut agnoscere possit: postulare videtur tua adversus Jesum, communem Dominum, devotio; ut & istorum ingratorum nomine, peculiarem ei interdum gratiam habeas, & reliquæ etiam naturæ vice, eidem amorem, cultum & obsequium deferas; & sicut illa tuum quodammodo, ita tu illius ea in parte defectum suppleas. Hac etenim arte (uti bonas mentes quandoque delectat pia aliqua istiusmodi commentatio) id tibi consecutus videbere; ut numero quasi concentu, & non modò conspirantibus in unum, sed vario tanquam repercussu, intendentibus sese universæ naturæ vocibus, ad DEI Christi; gloriam, plenior exultet gratiarum actio, & vox laudis jucundior existat.

§. 3.

*Posteriores eandem in rem præceptiones.*

**T**ertio: Sed quando hanc omnem, quæcunq; est, vel divinis ipsis beneficijs, vel votis animæ DEUM valdè amantis, laudem imparem esse comperies; eò denique mente consurges, ut non per te ipsum duntaxat, nec per ista solùm rerum creatarū velut instrumenta vicaria, Dominum tuum laudi-

laudibus ac gratiâ persequi studeas; sed huic quoque natura totius supplendæ infirmitati, potentius subsidium, ipsum inquam, Dominum ac mediatorem tuum Christum JESUM adhibeas; eum impensè atque demissè rogans, ut in hac quoque re tuus sit interpres apud Patrem; & quam per te ipsum minimè vales, hæc ipse divino ac dulcissimo corde suo, orèq; suo sanctissimo, pro summo humanæ redemptionis beneficio, seq; ipso adeò nobis concesso, æterno Patri gratiam habeat; eidemq; iisdem nominibus, quasi vice tuâ præclaram ac dignam laudem offerat. Nam sicuti Christus Verbum est Patris, quo suum præsertim immensum erga nos amorem charitatèmq; proloquitur: ita ipse vicissim (ex alibi à nobis laudato B. Ambrosij monito) debet esse *vox nostra quâ loquamur ad Patrem*, quâ ei laudem, quâ gloriam, quâ demum debitum gratiarum officium persolvamus.

Ad quod nos etiam hortari videtur Apostolus, cum *Heb. 13.* ait: *Per ipsum ergo (scilicet Christum) offeramus hostiam laudis semper DEO; id est, fructum labiorum, conscientiam nomini ejus.* Quasi nempe par sit, ut quomodo per ipsum bona omnia à DEO accepimus; ita & per ipsum pro iisdem DEO tributum gratiarum, laudisq; hostiam reddamus.

*Per ipsum* igitur, hoc est, ut per internuntium & interpretem, qui nomine nostro, sed verbis suis, id quidquid est officij, multò digniùs ac convenientiùs exequatur. *Per ipsum*, hoc est, per omnia sacratissimi Corporis ejus membra; per vulnera, tanquam per totidem ora aut linguas; *l. 2. c. 23.* *per cor, tanquam organum dulcissimum;* ut in simili argumento faciebat B. Gertrudis. *Per ipsum* denique; hoc est, Christum ipsum, tanquam hostiam verè Eucharisticam, neque accepto dono aut beneficio minorem, DEO representando ac redhibendo. Nam cum Christus paterno munere noster totus factus sit (illum quippe nobis donavit Pater), eòq; *donum DEI* sese alicubi appellare videtur) quænam æ-

quor

quior erit gratiæ referendæ ratio, quàm si Patri coelesti filium suum dilectissimum, hoc est, gratiam pro gratia, redamus; & (quando nobis se ipsum quoque Christus tradidit) ipsummet sibi, grati animi nomine, redonemus?

*Quartò:* Quod autem verbis modò laudatis speciatim submonet Apostolus: ut *per ipsum semper offeramus Deo laudis hostiam*; nescio an eò pertineat, quò intelligatur, (quæ quidem pia est, nec à vero abhorrens meditatio) cùm ea sit naturæ nostræ infirmitas, ut, seu ipsâ mentis volubilitate & inconstantiâ, sive varijs corporis præditi necessitatibus, non semper possimus in divinas res intendere, neque per nos ipsi hostiam laudis fructumve laborum Deo offerre: idcirco providendum nobis esse, ut id saltem per alium præstemus; per eum videlicet, qui ex suscepto mediatoris officio (velut idem Paulus alibi ait) *semper vivens est* (utique & animo semper vigente ac pervigili) *ad interpellandum, venerandumq; atque laudandum Deum, pro nobis.*

Quò tibi fortasse non improbanda videatur ista præceptio: ut si qua subinde operosior molestiorve occupatio incidat, quæ mentem plusculum divertat à studijs spiritualibus; ibi tum ad Jesum amanti suspiratione conversus, excusataq; humiliter infirmæ naturæ necessitate, eum verecundè ingenuèq; roges, tui ut occupati, pro immensa sua bonitate, in Deo amando laudandòq; vices gerere, & in eo munere sibi alioqui jucundissimo, & quod vel non rogatus libenter præster, id te nunc demissè flagitante, tuus apud Patrem interpret esse ne gravetur.

Rursum, cùm quietis necessariæ gratiâ lecto te trades; illum quidem ipsum somnum tuum (quem ad Dei gloriam suscipis) unaq; cordis tui motiones omnes, ac reciprocos pulmonum anhelitus, ei sopori divinissimo, quem olim in terris Christus cepit, adjunges, ei pariter supplicans, ut cùm jam per somnum id nequeas, tuo ita volentis deside-



rantisq; nomine, gratiarum actionem vocemq; laudis Deo ac Patri contribuat. Sicq; corde tuo (hoc est, Christo) pro te vigilante, ac Deo perpetuum sacrificium laudis offerentem tranquillè ac purè ad Dei gloriam somnum capies.

Eritq; fortassis cui in mentem veniat hoc loco; ad hoc quod commendamus mentis propositum votumq; expectatis significandum, si quem in suo cubiculo consuetae precationi destinatum locum habeat, Crucifixi signum aut alii ejus effigiem vice suâ supplicem substituere; eòq; pacto, voluti vicariâ operâ, etiam per noctem pietatis suæ officia quodammodo perpetuare.

Quippe his similia in Sanctorum gestis legitur: neque animæ sanctæ artes ejusmodi habuere pro levibus; quam utique ipso experimento condiscerent, ad sanctæ devotionis spiritum, fervoremq; divini amoris in se alendum exagendumq;, haud mediocriter conferre.

Adde his non absimiles præceptiones S. Mechthildis ab ipso Christo traditas, ita referente Bloisio in Monili spirituali: *Dominus (inquit) dixit ad Virginem Mechthildem: Quando quis somnum capere vult, medietur aliquid de me, aut mecum loquatur. Ita enim licet corpore dormiat, mentis tamen vigilabit ad me. Et postea: Etiam dormiturus quis desideret, ut singulas respirationes, quas nocte illa faciet, tanquam eximiam mei laudem suscipiam: Et ego qui sanctis votis pie amantiq;, anima deesse non possum, in veritate desiderium ejus adimplebo.*

l. 2. de Jacobo c. 1.

Tali igitur aliquâ solertis mentis applicatione, perpetuare poteris laudis & gratiarum officia; & (quod de Jacobo Patriarcha inter dormiendum mysticam illam scalam contuente, dixit B. Ambrosius) *bonus in somno operatur*, etiam omni cessante mentis vigilantis officio, divinæ gloriæ quodammodo operaberis.

*Quintò:* Pars etiam quædam gratitudinis adversus Christi-

Christum, Dominum ac Redemptorem nostrum erit: Deo Patri gratias agere, quòd filium suum nostrâ gratiâ in passione sua usque eò dejectum atque depressum, exinde gloriâ & honore coronaverit; atque ex profunda illius exinanitione, majorem tum nominis sui, tum ipsius Unigeniti gloriam, decus, exaltationem collegerit. Quippe & universè omnis undecunque divinæ gloriæ manifestatio, gratum à nobis animum exigit; ita nos informante Ecclesia, quæ in Doxologia sacrificali, Deo etiam gratias agit, *propter magnam gloriam suam*; eâ nimirum ratione, quòd licet ex omnibus, quæ nobis Deus dare consuevit, solam gloriam sibi velit esse propriam; non tamen hanc sibi ita reseruet, quin eandem velit omnem nostris commodis utilitatibusq; servire, cum eâ ipse non egeat, ut qui per omnia ipse sibi sufficiens sit. Et peculiaris est gloriæ Christo à Patre concessio. Hæc enim, non uno nomine speciatim, beneficium nostrum est: tum quia concessa naturæ nostræ, cujus honor etiam pertineat ad singulos; tum quia Domino, patrono, duci, principi, liberatori, assertoriq; nostro delata; tum quia merces est ejus laboris, quem ipse nostrâ causâ suscepit; ac proinde ejus obligationis, quâ natura nostra se liberare non poterat, ab illa divina & locuplete manu, nonnulla quasi exolutio. Addo, ipso amore omnia communia effici; ut proinde quidquid dilecto Jesu honoris aut gloriæ accidit, juxta ac si istud omne nostrum sit, eapropter & ipsi gratulari, & nobis gaudere debeamus.

## §. 4.

*Anima Christum impense laudare satagentis, in idque quàm potest longissimè, desiderio extendentis se, atq; exporrigentis, paradigma.*

Verùm ut rem omnem in breve contraham, in qua pertractanda sicubi visus sum prolixior, pensabit credo  
Gggz pro-

prolixitatem ipsa materiae officiiq; suavissimo Redemptori debiti dulcedo; extremum hoc monitum esto.

Paupertati nostrae, quod quidem ad praesens attinet, non leve hinc solatium suppetere; quod, si in gratia Amari nostro crucifixo referenda, rebus ipsis divites non sumus, at ipsis tamen desiderijs oppidò munifici, & votorum largi atque profusi esse possimus.

In hanc igitur artem industriamve extremo te conati explica; & concepto, quoad animus tuus longè lateq; protendi potest, immenso, ardenti, insatiabili Dominum Jesum dilaudandi desiderio, id pro eximio genere laudis (sicuti reverà est) suffice.

Optabis subinde, exempli causà, ut omnium qui tequam fuere, sunt & futuri sunt, hominum cordibus aeliguis praeditus esses, quò tibi liceret pro voto tuo, per omnia temporum locorumq; spatia, communem Dominum amare, colere, celebrare; eiq; valeres omnium voce, & velut totius naturae praeco, legatus, interpres, pro opprobrijs gloriam, pro victoria laudem, pro amore amorem, pro beneficij gratiam, in omni etiam aeternitate representare.

Optabis alias, ut membra omnia, articuliq; corporis tui, musculi, ossa, membranae, nervi, fibrae, arteriae, pleetra vertantur & chordas; & hinc innumera organa existant, divinis laudibus assiduo carmine concelebrandis, accommodata. Itémq; ut omnis animi tui membrorumque tuorum motio, actus sensuum, agitatio cordis, venarum pulsus, arteriarum micatio, aspiratio pulmonum, sanguinis fervor, spirituum discursus, omnis inquam vigentis animae operatio atque energia, pars quaedam existat divinae laudis, & assidua atque festiva miserationum Domini praedicatio.

Tandem (libera enim sunt cordis humani desideria, & pro voto suo quidvis fingere, difficile non est amanti) ut tu ipse demum quantus quantus es, totus vox fias optabis,

sonora, efficax, infatigabilis, & velut Echo assidue repetens reddensq; sonum divinæ laudis, ex universis ejus operibus, naturæ, gratiæ, atque gloriæ modulatè resultantis. Nam cum verbi intus in mente concepti, partus quidam atque expressio sit externa vox; & mundus iste aspectabilis Verbo Domini (ut ait Scriptura) firmatus sit, Deoq; loquente atque dicente prodierit; consequens est, istas naturas omnes, sed pro modo suo quamlibet, vocem quandam esse, autoris sui, tum ipsius erga nos amorem, tum laudes reliquas excellentemq; summæ divinitatis gloriam (si quis ei sono aures aptatas assuefactasve habuerit) non obscure proferentis & enarrantis. Ubi rursus tibi gratulabere, quod ad Dei Christiq; gloriam vocalissimè annuntiandam, factus sis *in animam viventem*, sive ut Chaldæus vertit, *in animam loquentem*. Unde etiam exultans dices, exclamabisq; cum Rege Propheta: *Et anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi*: cogitationes, inquam, affectus, vota, desideria, qui veluti quidam mentis nostræ partus sunt, sanctorumq; operum ac beatæ semina immortalitatis. Ut quid enim vivo ac spiro (inquies) nisi ut te diligam, tibi vivam, ad te aspirem, in te suspirem, tecum conspirem, ac denique expirem, ô dilecte mi, & dulcissime Sponse animæ meæ?

Gen. 2.

Psal. 21.

At ecce hic tandem subjunctum habes sanctorum istorum affectuum votorumq; exemplum, & tanquam formam quam imitere; si quando te par mentis ardor, aut Divini Spiritus sublimis afflatus inceserit.

Admirabilis quippe est ac penè incredibilis eo in genere ardor animi Henrici Susonis ex Ordine Prædicatorum, viri omnino pij, & pro Christi amore ac gloria multis horrendisque vexationibus exerciti: qui in Dialogo æternæ Sapientiæ, post expensa capitibus pluribus divina beneficia, & istud nominatim quo de agimus, amarissimæ passionis ac mortis Christi; ingenti incensus tantam bonitatem assidue lau-

c. 25.

laudandi desiderio, in omnes sese convertit artes, modòque omnes ac rationes exquirat, quibus suæ illi ardentissimè cupiditati aliquousque obsequi atque satisfacere possit. Delectat nonnulla ex ejus prolixiore discursu speciminis gratia libare, in breve contracta, meis ferè verbis, sed autoris ipsius sententiâ retentâ. Sic igitur ille, ad DEUM suspirans, inter cætera:

Quis dabit, inquit, æstuanti cordi meo, ut aliquando te, pro eo ac desiderio, laudare possim; totq; de intimis meis præcordijs tibi gratissimæ laudationes existant, quot nunquam fuere musicorum organorum soni suaves, quot teluris herbulæ, quot atomi in sole volitantes; neque vel momentum, laudis tuæ vacuum exigam, sed quâdam laudandi te perennitate, illam vel modò experiri incipiam, alterius vitæ desideratam felicitatem? Crebrò equidem dixisse memini inter æstus desideriorum meorum: Quid tantopere properatis, cœlestes orbes? Ut quid tantâ cursûs incitatione, momenta & horæ, dies & anni festinatis? Sistite, prumper, amabò, aut moderamini sanè cursum istum agitationemve præproperam; dum pro voto Dominum meum laudibus celebrem, neque antè de vita, quàm istâ perfunctus voluptate, decedam.

Indignus quidem sum, Domine, qui tibi laudem nullam offeram: attamen id saltem optare ausim, ut in vicè mentis te prædicet cœlum, cum maximè præclarâ ac festâ luce liberum suorum perfusum est; celebret & terra, omnigenâ ridens florum ac colorum amœnitate; laudem dicant tibi in unum collectæ cogitationes omnes & flagrantia desideria, quibus unquam arsère animæ sanctæ, Divini Spiritûs inundante gratiâ perfusæ.

Enimverò, uti perspicio, laudare te affectant omnia, quo modo & quâ voce possunt. Etiam laudent te ranae in paludibus, & quanquam canere nequeunt, at coaxant modo

dulo suo. Ego autem, qui ad hoc natus sim, ut te cognoscam, amem, colam, celebrem, quomodo tandem à laude tua continere me possim? Qui si laudare te nequeo, velut sublimes Cedri Libani, ut cœlestes, inquam, & angelicæ mentes; at laudem te saltem velut horridus & aculeis asper carduus: ne solus utique in isto tanquam universæ naturæ choro, laudis tuæ exors, & cessator odiosus, inveniar.

Laudabo igitur te in vita mea, & donec aliquis mihi superabit anhelitus: at eum, urgente fato, me lingua vóxq; defecerit, volo, ut quilibet digiti motus ac protensio, pro clausula sit universæ laudis, quam tibi unquam deprompserim: ac deinde carne in suum pulverem resoluta, opto ut è singulis quamlibet minutis, corporis hujus pulvisculis flagrantissima tui laus prorumpat; perq; saxa & rupes, per terras & maria, perq; cœlos ipsos latè diffusa, pervadat in tui conspectum, atque id ad diem usque ultimum, quo corpus & anima mea inter sese rursus, sed indissolubili nexu, copulata, evadant jam indefatigabile perennis tuæ laudis instrumentum.

Atque ista ferè ex sensu viri illius sancti, atque æternæ Sapientiæ luce non mediocriter collustrati; quibus nos patria ad amorem nostrum Crucifixum proferre quandoque delectabit, neque tam linguæ quàm cordis officio; ubi nos præsertim divino instinctu ad id impelli senserimus.

## CAPVT XXVIII.

*De quadam animi confusione atq; pudore,  
ex passionis Christi contemplatione,  
concipiendis.*

**C**onfusionem hoc loco appello, cum autoribus præsertim Ecclesiasticis, illum animi affectum, quo vel acceptæ

cap. 31.

P. 2. tract. 7.  
c. 7.

ceptæ ignominia gratiâ, vel propter opprobrium conscientiamve malefacti, pudore quodam oppressi, aliorum ore erubescimus, aut ipsi nosmet æquo animo vix ferimus; secundum illud Prophetæ Jeremiæ: *Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Qui itidem affectus, proles quædam videtur esse antememorata à nobis admirationis. Sic enim Alphonsus Rodriquez noster tractatu de meditanda Passione Domini, de ea ipsa admiratione agens, docet in ea contineri magnum Dei amorem, magnam approbationem ac sensum divini beneficii, & magis demum confusionem nostram. Quippe ex divina admiratione bonitatis, quæ super omnia in hoc elucet, quod Deus unigenitum suum pro nobis redimendis tradidit morti, subnascitur confestim in homine pudor ingenuitatis; confusio, quod peccatis suis Dei Filium ad crucem adegerit: Unde ad extremum suboritur etiam satisfaciendi Deo; eamque tantam injuriam in semetipso ulciscendi, cupiditas; quam proximo capiti reservamus discutiendam.

## §. I.

*Ejus exercitij prima velut adumbratio.*

**P**ORRÒ in præsentis utilis erit exercitij ratio; si quandoque in Dei conspectu & celestis curiæ consistentes, & totius scelerum nostrorum conscij, ex eo præcipue confundamur animo, quod peccatis nostris peremerimus Unigenitum Dei; neque eo contenti, etiamnum fortasse pergamus, tantam bonitatem in dies & horas offendere, & novas novasque divinae mortis causas (quantum in nobis est) præbere ac suppeditare.

Primum enim, si cum animo tuo rei gravissima momenta penses, quo vultu consistes, peccator infelix, ante oculos æterni Patris, cujus Unigenitum, scelera tua atrocitate, tanquam telo crudeli, confeceris? Qui compar-

parebis in conspectu Matris amantissimæ, illas ostentans parricidales manus, etiamnum dilecti filij indignâ cœde cruentatas? Qui sustinebis tot millium Angelorum oculos, cæterarumq; rerum te circumstantium præsentiam, conditorem suum tam indignè sublatum frementium, & te, ut maleficiæ ac cœdis autorem, uno ore quodammodo ad ultionem ac pœnam deposcentium?

Hic enim jam profectò locum habet, quod suggerit S. Ignatius in Meditatione de peccatis; ut nimirum in exclamationem prorumpas, ex commotione affectûs vehementi; admirando valde, quomodo creaturæ omnes te sustinerint tam diu, & huc usque vitam servaverint; quomodo Angeli divinæ justitiæ gladium ferentes, æquo te animo tulerint: quomodo cœlum, Sol, Luna, elementa, debita vindictæ loco tibi servierint: quo denique modo non absorbuerit te dehiscens tellus; & quæ sequuntur.

Quo etiam modo adversum se sub peccatoris figurâ, insurgentia & occlamitantia sigillatim elementa omnia, imaginatur quodam loco S. Bonaventura, uti paulò post rursus indicabimus.

Neque obstabit, quòd culpis gravioribus abdicatis, fortassis jam cum bono Deo in gratiam redieris, eiq; servire atque obsequi pio studio contendas.

Ut enim omitram; nunquam tibi ex eo defore pudendi erubescendiq; materiam, quòd post tantam tuam in priori vita licentiam, & tam immensam dulcissimi Jæsu adversum te benignitatem, tot adhuc peccatis, venialibus licet, eum offendas, eundemq; tam frigidè redames, tamq; remissè atque ignavè ei servias: id modò dixerò; utile etiam esse homini justo, ad humilem de se ipso sensum, ad peccati horrorem ac fugam, ad amorem denique summè benefici Redemptoris, aliòsq; probos conciliandos affectus, juventutis suæ delicta recogitantem, quandoque personam pec-

H h h

cato-



catoris assumere, & velut divinæ mortis reum, cum incerto pudore ac confusione, DEO vindici cœloq; se sistere; præsertim si nondum ea nomina prorsus expeditisse, aut de ijs divinæ justitiæ plenè satisfecisse, videatur.

*Vit. c. 3.*

Sic enim B. Jacoponus, tametsi ad DEUM ex toto conversus, secum tamen reputans, DEUM propter hominum peccata subiisse mortem doloris ignominiaq; plenissimam, tanto in semetipsum odio inflammabatur, ut diceret, non dubitaturum se, tormentum omne & ærumnam quamlibet quantumvis grandem & exquisitam, ipsaq; adeò inferorum supplicia, si fieri posset, in semetipsum accersere, & iustissima de suis criminibus, quæ Domino Jesu tam crudelis nocis causa fuissent, vindicta pœnæ sumeretur.

*Vit. c. 20.*

Eodémq; propemodum sensu fuisse videtur B. Catharina Genuensis: quæ cum dulcem Amorem suum à se aliquando offensum meminisset, ita scilicet vulnerabatur animo, ut nullam sibi ea in causa adhiberi velle indulgentiam aut gratiam, sed summo ac rigido jure secum agi deposceret, ipsamq; adeò divinæ offensæ memoriam, omni supplicio atrocioribus experiretur.

At nunc distinctè magis particulatimq; videndum est, qui affectus propriè huic exercitio convenient; quò propius ad usum accommodetur, atque ad opus deducatur feciliùs, proposita hoc capite commentatio.

§. 2.

*Qui actus præsertim eo exercitio continentur.*

**P**ORRò in his quæ dixi, triplex præcipuè continetur affectus, & tres quasi gradus præsentis exercitij.

*Primus* est internus ille pudor animiq; confusio, quò propter admittas culpas, earumq; gratiâ DEI Filio necesse illatâ, DEI Sanctorumve oculos erubescimus, & vel faciem ipsam

ipsam ad caelum levare, reformidamus. De quo sufficienter actum est paragrapho superiori.

*Alter* est intimus quidam horror, aut motus animi, hac ipsa ex causa semetipsum abhorrescentis; & quò jam se ipsum refugiat ac vitet, tanquam in abyssum sui nihili sese profundè retrudere atque abdere saragentis: quasi jam sufferre non possit arcanam vocem opprobantis conscientiae; & intestinum illum judicem, sive ipsum suum de se ipso iudicium, subterfugere ac declinare moliatur.

Dura quippe & amara auditu (ei praesertim qui adhuc se Deo inimicum invisumq; meminerit) vox illa scelerum, divini paricidij vindictam poenàsve è caelo expetentium. Nam veluti quondam, non tam Judæorum, quàm nostrorum criminum vox erat illa adversus Christum, *Crucifige, crucifige*, acclamantium, eòq; clamore benignissimi Redemptoris aures & cor acerbè vulnerantium: sic nunc è diverso, eadem scelera, in corde auctoris sui, de eo vindictam grandi clamore & supplicia dira exposcent; nisi si hunc clamorem fortior animæ poenitentis gemitus, & sanctarum lacrymarum vox potentior retuderit atque represserit.

*Postremus* actus est, serium suimet odium, eadem ex causa eademq; contemplatione conceptum. Quo fiat, ut neque nos ipsos ullam in partem indulgentiùs habeamus, ipso quoque usu rerum creatarum nos indignos censentes, ut quarum autorem ac conditorem peccatis nostris trucidaverimus. Idq; potiùs agamus sedulò, ut non aliter nos, quàm ut Christi Jesu interfectores, Dei q; parricidas aspicientes, eòq; nomine nobismetipsis facti invisì & intolerabiles, omnibus nos excruciemus supplicijs, acrésq; de nobis repòscamus poenas, quo vel sic innocentissimo Jesu tam atrociter à nobis laeso, parte aliquà saltem satisficiamus.

*Tunc enim perfectè te odis*, ait S. Bonaventura, *quando non solum vis ab hominibus conculcari, sed etiam te ipsum tantum*

P. 2. Stim.  
c. 6.

H h h z

abbor-

abhorres, ut vix te ipsum valeas tolerare. Qui etiam alibi de hoc sui odio ob Christum peccatis nostris interfectum pluribus agens, his inter cætera in semetipsum acerbis insur-

*P. 1. Stim. c. 2.* git: Nõnne mirabile videtur, me cogitare, te tam nobilissimum & benignissimum Dominum, pro me tam vilissimo mortuum, & non statim descere præ nimia tristitia? Et quomodo si non esset contrarium tuæ voluntati, me materiali gladio, non occido præ dolore, qui sui occasio tua mortis? Cum patientia ergo magna me debeo sustinere, sicut sustinerem, cum aliquem inimicum meum coram oculis meis video, quem toto corde occidere affectarem, quamvis non auderem aliquâ ratione.

Sed jam hoc pars quædam est proximè sequentis exercitij; in quo plura, de hac Christo satisfaciendi voluntate, etiam ex ipso Bonaventura proferemus.

*In Monit. M. S.* Non est tamen hoc loco prætermittendus, ex B. Bonav. monito studioso ascetæ usurpandus affectus; ut nempe cor suum perfecto odio oderit, ut peccatorum fontem, quibus amabilem DEI bonitatem offendit; atque eapropter omnem neget delectationem suis sensibus, quò cordi suo ægrè faciat, & tanti mali autorem ulciscatur.

## CAPVT XXIX.

*Ut itidem in contemplantis animo, ardens excitetur, Christo pro injuria satisfaciendi, cupiditas.*

**S**uperiori quoque connexum est hoc exercitium, quò satisfactionis appello, quòdque præcipuè actus dicitur complectitur.

## §. I.

Prior pars hujus exercitij: coram ipso Christo aut DEO Patre, sese reum mortis Unigeniti constituere.

Prior actus est: ut veluti subinde contingit inter homines, ut qui in alterum, præsertim malis dictis injuriosus fuerit, is verecundo ac pœnali corporis habitu, adigatur læso satisfacere, & supplice dicti factive sui retractatione, illatam injuriam repensare: similiter & tu in re præfenti, imaginariè assumpto nocentis & jam damnati habitu, & quasi funestam restim collo præferens, coram JESU crucifixo te sistas, humiq; prostratus reum te fateare mortis ipsius; tam indigni facti suppliciter veniam petens, atq; ad omnem pœnam suppliciumve, honorariæ satisfactionis nomine, temetipsum paratum offerens. Inter quæ, si ita placuerit, iteres cum mœsto gemitu, illam B. Augustini, aut similem *Aug. med.* aliquam suspirationem: *Quid fecisti, dulcissime puer, ut ita. 7.* traheris? quid commisisti, ô amantissime juvenis, ut ita judicaveris? Ecce ego sum causa tui doloris, ego plaga tua occisionis. Aut illam S. Bonaventuræ: *Pro me, Domine, vulne- P. r. Stim.* ritues, non pro te: & tu vulnere portas, non ego. *Quid est c. 2.* hoc? ego debeo esse subiectum vulnerum, & non tu: quia ego sum qui peccavi, ego qui iniquè egi: sed tu, qui es innocens orvis, quid fecisti? Et infra: nonne melius erat, bonè JESU, ut non essem, quàm ut factus te occiderem? Et cur carnes meas non lacero præ dolore? aut quomodo me omnis creatura non occidit, qui sui occasio tua mortis?

Et quidem profectò, si rem ipsam humanis pensemus rationibus, multò æquiùs erat, ô bone JESU, eum qui peccarat, admissi sui pœnas pendere, quàm te Agnum innocentissimum, quæ non rapueras, exolvere. Rursùmq; præstabat (uti videtur) mundum universum funditus æternùmq; interire, quàm te DEI Filium, alienam ob noxam, vel Levi flagel-

flagello contingi. Sed aliter visum est amori tuo: quod dignius diviniusque esse credidit, pro servuli vita Dei Unigenitum occumbere, & insolentis atque protervi hominis culpam, ipsum præstare Universitatis autorem. Quapropter succurrit hoc loco Cardinalis Latini (Ursini scilicet, Frangipani) ex ordine Prædicatorum à S. Antonio relato

P. 4. tit. 15.  
c. 41. §. 3.

rhythmos sanè teneros usurpare, & dicere:

*Bone JESU cur tanta pateris,*

*Cum peccati nihil commiseris,*

*Flos innocentia?*

*Ego latro, tu cruce moreris,*

*Ego reus, tu panà plecteris*

*Nostre nequitia.*

*An te fecit sic amor ebrium,*

*Ut nec crucem putes opprobrium,*

*Amoris gratia? &c.*

Neque hic fortassis improbanda videbitur devotio, incitante ad id spiritu, idque ad majorem cordis compunctionem profere credens, in secreto cubiculi tui, non cogitatione duntaxat, sed etiam re ipsa externoque habitu rei personam representes, nudo vertice, & detractis calceamentis, recte etiam collo circumjecta, prout Libellus quidam Amatori Crucifixi faciendum suggerit, teque eâ specie ad peccati Crucifixi abijciens, lamentabili voce veniam pacemque implores. Delectabit enim ea contriti cordis humilitas, commovebitque cor benignissimi JESU, eumque potenter inflectat tibi ut gratiam impendat suam, effundatque viscera misericordiae suae.

Neque id feceris absque majorum exemplo. Nam simile quiddam, tamen in causa dispari, designasse legitur S. Carolum Borromæum; qui saviente Mediolani peccentia, nudis vestigijs, capitis adducto super oculos, ferali fine (in morem latronis qui ad furcam ducatur) sibi in collum

L. 4. tit. c.  
4.

infecto, grandem crucem bajulans, in publica Cleri populiq; supplicatione processit; quò populo suo conciliare irarum Numen, ejusq; peccatis debitas pœnas in se unum ab illo averteret. B. Petrum Thomam ex sacro Ordine Carmeli Patriarchiam Constantinopolitanum: qui itidem vili indutus sacco, & rei instar collum laqueo implicitum habens, discessit è vita. S. Franciscam Romanam: quæ defuncto marito, cum in oblatarum sub Regula D. Benedicti Congregationem, quam in Domo Turris Speculorum instituerat, recipi vellet, nudis & ipsa pedibus, fune ad collum alligato, humi prostrata, multis cum lacrymis earum numero adjungi postulavit. Ut magis insolitum S. Francisci factum hic non proferam; qui sui deprimendi gratiâ, nudum propemodum, fune ad collum alligato, trahi sese jussit ad petram, maleficis hominibus publicè puniendis destinatam.

Potes etiam, ad flecendam Dei misericordiâ, & nonnullam pro Salvatoris injurijs honorariam satisfactionem, componi in pœnitentis habitum, nudato tergo, virgâsq; ac flagella manibus præferens; eòq; schemate representare te oculis Divinæ justitiæ, illa pœnarum instrumenta offerendo æterno Patri, tēq; unâ ad omne supplicium, quod ulciscendæ morti Unigeniti, ei de te sumere libuerit, cum hac similive oratione.

En Pater optime & justissime; ego ille sum sceleratus parricida, ille Majestatis Divinæ reus, ille sacrilegus, execrandus, detestabilis, interfector Unigeniti tui. Plecte, percutite, feri, vindica. Ego enim in flagella paratus sum, nec recusabo, quin pœnas quaslibet dependam, & malis omnibus exercear, opprimar, & tanquam in nihilum redigat, dummodo id quidquid erit supplicij, in nonnullâ acceptes compensationem atrocissimæ injuriæ, quâ in te peccando, Pater optime, indignissimæ morti objeci dilectissimū filium uteri tui.

Et.

VV ad. in Vi-  
ta n. 40. 6  
42.

Vit. c. 6.

Et similem in sensum incidisse video Ludovicum Blosum, dum peccatorem ad DEUM conversum ita loquentem inducit: *Heu infelix ego, non veritus sum tanta illa perpetrare scelerem, quae dilectus filius tuus tantis cruciatibus diluit atque expiavit. Non peto, Domine, ut mala quae commisi inulta maneant. Prorsus ulciscere in me injurias, quas intuli tibi: quandoquidem humiliter me submitto flagellis misericordiae tuae.*

Aliàs denique potes te ipsum, quasi qui aliunde habendo non sis, imaginariae satisfactionis specie, ipsi Christo in servum obstrictissimum contradere, & verè servum, ut quem pro sua benignitate, cum perdere posset, tamen servare maluerit, neque interim sibi gratis te quaesierit, sed magno emerit pretio sanguinis sui.

Postulabis igitur, ut tanquam servum malum, te viculis timoris atque amoris sui constringat, & ne quàm effugere possis, insuper ad suam crucis truncum alliget, futurum aeternum mancipium gloriae suae. Imprimat denique atque inurat sua stigmata fronti tuae, & notas servitutis indeliberabiles; ut consentaneè ad id quod ait Apostolus empta cum sis pretio magno, glorifices & portes DEUM in corde & corpore tuo.

## §. 2.

*Pars posterior: eadem in causâ, sibi iudicis ac vindictis partes adversus semet ipsum sumere.*

POSTERIOR actus est, ut non jam corâ DEO, sed intus apud nosmet ipsos, sive in secreto foro nostrae conscientiae, indignissima Unigeniti nece nos accusemus; ipsi eam indigni facti certissimi testes, ipsi justi iudices, ipsi tantae injuriae vindictores, & cõmeriti eâ causâ supplicij, ipsi de nobis severi exactores simus. Quâ etiam arte nobis suggerit S. Bonaventura, dum ita loquitur: *Contra nostram pravam nequitiâ amorem*

mur, & nos ipsi nostri iudices simus; vindicemus in nobis injuriam Domini nostri, & quantum possumus, nos conculcemus; dicentes unusquisq; intra se: Ego ille qui contempsi Dominum DEUM, & pro quo mortuus est Dominus meus JESUS. Jam horrent me vestimenta mea: & mirum videtur, quomodo me non detestatur omnis creatura; quia omnium Creatorem contempsi. Et infra: Mihi videtur (inquit) quod tota hujus mundi machina post me & contra me nefandum proclamet, & dicat: Iste est ille, qui Dominum DEUM nostrum contempsit, & contemnit. Iste est; iste est, &c. Pergit enim pluribus sub peccatoris persona demonstrare, quomodo contra se sigillatim insurgant creaturæ omnes, & magnis clamoribus universæ sese ad eum disperdendum incitent: unde ad extremum territus exclamat: Heu, heu miser, quid faciam? quod ibo, quia omnia contra me sunt armata? Tum verò ad eam, quam modò proponimus, DEUM placandi artem conversus: Scio, quid faciam, inquit. Contra me ipsum ego ipse armabor, & ero, præ cæteris crudelior mihi & severissimus Judex. Afficiam me undiq; penalitatibus & angustijs, & me tanquam lutum fetidissimum conculcabo, & abominabor me sicut stercus, & intolerabilis ero mihi met ipsi. In mea confusione, & dejectione & conculcatione, sive à me, sive ab alijs illata tarabor, & exultabo cum apparuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari, contra me universum cæcum creaturarum congregabo, & à quolibet confundi & puniri desiderabo, quia earum contempsi creatorem. Hæc & multò plura Doctor Sèraphicus eo loco, profusè accommodatè in rem nostram.

Porrò capite superiori à nobis memorata B. Catharina Adorna, ad idem propositum audita est aliquando dicere: si fieri posset, ut omnium tormenta SS. Martyrum, ipsasq; etiam inferorum pœnas pro Dei amore sustinuissèm; id omne, quod quidem ad Deo satisfaciendum attinet, pro nihilo, & (ut ipsa loquitur in mentis excessu) quædam veluti  
 Iii  
 ipfius

P. 1. Stim. a.  
7. grad. 7.

Vit. c. 9.



ipſius DEI injuria, habendum eſſet, collatum ad eum amorem, quo immenſa illa bonitas, nos primùm creavit, tum etiam recreavit atque redemit. Quid autem altera illa. *L. 1. Sit. c. 14.* Chriſto dilecta vidua, Maria Raggia? cujus is fuiſſe probatur æſtus atque ardor animi, tam incenſum Chriſto amore ſui paſſo ſatisfaciendi deſiderium; ut non tantùm opere ejus gratiã membratim minutatimq; concidi, verùm etiam amiſſa membra deinde ruruſum recipere, ac morte ſapienter petita vitam iterare, quò ſapientius pro dilecto pati & excarnificari poſſet.

Verùm iſtiusmodi grandia & inſolentia vota, grandibus item animabus, & excelsis mentibus relinquuntur. At tamen, quæ meæ hic partes ſunt, in intimo conſcientiæ tribunalis, me (uti dicebam) tanti criminis compertum habere, inquam fuiſi divini ſanguinis, ſeverum in memet excubo judicium, me ipſum inceſſam, in me armabor, in me ſæviam, & quã fas erit crudelitate, vindicandis in me Domini mei injurijs, juſtas ipſe de meis manibus poenas expoſcam. Atque utinam, non pro meis tantùm, ſed pro mundi totius ſcleribus, quæ Deo meo crucem fixere, ſatisfacere poſſim! Utinam in hoc funeſtum caput inſurgat omniuniverſi natura, & omnium vice in me omnium nequiſſimum concitata, de me uno ultionem reperat indigniſſime ceſſi Domini ac Creatoris ſui.

Sed quando jam eo rigore nobiſcum non agis, optime Jeſu, ſolo contriti cordis ſanguine, & promptã tibi ſervendi mente contentus; concede id ſaltem, ut vel eã quam dixi contemplatione, mei contemptu, oppreſſione, omnino vexatione gaudeam; & quidquid adverſi acerbive in me, ſive à Patre tuo, ſive ab hominibus, ſive ab alia quacunque natura, incurrerit; id tanquam divinæ ultionis particulam de hoc reo expetitam interpretans, læter vel ſic de me tantillam præſtari ſatisfactionẽ, tibi Deo meo malitiã meã tam atrociter læſo atq; offenſo. Atq;

Atq; hæcenus de confutionis & satisfactionis exercitijs. Quinquã animam jam Christum amantem; eiq; placere sollicitam, juvabit equidem (ut partim jam fecimus) cogitationes hujusmodi in amoris deniq; argumenta reflectere, & ad his austerioribus affectibus in illos suaviores revolvi; optimũ ac indulgentissimum Redemptorem laudando; gratias habendo, ejusq; immensam eomendando misericordiam, quod non modò pro te crucifigi & mori voluerit, sed te summè ingratum, & beneficio inæstimabili nihil nisi peccata atque offensas rependentem, etiam sustinuerit; & quando non mortem sed vitam desiderat peccatoris, amabilibus ejus obsequijs æternũ te mancipando, atque ad crucem quotidie ferendam, ad assiduum mortificationis studium, quasi longum amoris martyrium, tantissæ saltem satisfactionis nomine, hilarè te offerendo. De quo ita S. Bernardus in Meditationibus: *Fudit ipse lacrymas pro te; lava & tu per singulas noctes lectum tuum, cordis compunctione & lacrymarum assiduitate. Fudit ipse sanguinem suum, funde & tu tuum, quotidiana corporis afflictione. Quem si semel ponere pro Christo non potes, saltem mitiori quodam sed longiori martyrio, pone.* Ita S. Bernardus.

Cap. 3.



Iii 3

PARS